



Pereira

ANTONII PERERIÆ FIGUEREDII

PRESBYTERI AC THEOLOGI OLISIPONENSIS
REGIÆ CURIÆ CENSORIÆ DECEMVIRI ORDINARII,
REGISQUE FIDELISSIMI AB EPISTULIS LATINIS,

DISSERTATIO
HISTORICA ET THEOLOGICA
DE GESTIS AC SCRIPTIS
GREGORII PAPÆ VII
ADVERSUS
HENRICUM IV
IMPERATOREM.



OLISIPONE
EX TYPOGRAPHIA REGIA
ANNO MDCCLXIX
Permissu Regiæ Curiæ Censoriæ.

Clerus Leodienſis in Epiſtula *Omnibus hominibus bonæ voluntatis* directa adverſus Paſchalem Papam II anno MCVII: *Hildebrandus Papa auctor eſt hujus novelli ſchiſmatis, & primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diademą Regni.*



AD ILLUSTRISSIMUM
ET EXCELLENTISSIMUM DOMINUM
SEBASTIANUM JOSEPHUM
CARVALLIUM DE MELLO
COMITEM OEIRENSEM
FIDELISSIMI REGIS A SANCTIORIBUS ARCANIS
INTIMUMQUE ADMINISTRUM



ISSERTATIONEM, *EXCELLENTISSIME COMES*, De Geſtis & Scriptis Gregorii Papæ VII adverſus Henricum IV Imperatorem *evulgaturus*, *putavi Scriptum delicatiſſimi argumenti Patrono eo indigere*, *qui & ſua auctoritate narrationi*

vim adderet , & adprobatione conciliaret narratis fidem. Ubi enim agitur de dissidio inter Sacerdotium & Imperium sicut omnium primo, ita omnium fædissimo & calamitosissimo ; nonne res est periculi & aleæ plena , si quid in alterutram Potestatem vel dicendo vel narrando peccarim ? Opus igitur est Censore prudentissimo & incorruptissimo , qui rei gestæ summam penitus adsecutus dijudicet , numquid vel minus vere traditum , vel minus decenter prolatum emendari oporteat , & ad incudem revocari.

Ex omnibus autem , qui de his rebus sanum judicium ferre possunt , unum Te ego , EXCELLENTISSIME COMES, *in tota Lusitania novi , cujus sententiæ acquiescere venerabundi debeant vel ii , quorum apud exteros maxima sit existimatio atque auctoritas. Cum enim inter gravissimas & molestissimas curas atque occupationes , quibus diu noctuque implicare , adsiduus nihilominus sis cum in evolvendis & perlustrandis antiquis monumentis , tum in indagandis & perpendendis institutæ a Deo duplicis Potestatis juribus : hinc sane fieri videmus , ut quemadmodum veteris Historiæ callentissimus es , ita qui veri sint Sacerdotii &*

Im-

Imperii limites, nemo melius Te perſpectum habeat atque exploratum.

Soleo ſæpe mirari, EXCELLENTISSIME COMES, quid ſit, quod cum tot negotia tractes longe graviſſima, quot tractare neceſſe eſt eum, cui totius Luſitaniæ adminiſtratio commiſſa eſt: ubi tamen caſus aliquis occurrit, (occurrunt autem quotidiè ejus generis plurimi) in quo noſtrorum temporum ſive iniquitate ſive infortunio eo res ſubinde adducitur, ut videantur alterius utrius partis jura neceſſario violanda ab eo, cui tamquam Catholico Adminiſtro Apoſtolicæ Sedis dignitas, tamquam Adminiſtro Regio REGIS maieſtas eſſe curæ debet. Cum tam multi, inquam, tamque difficiles caſus ſe offerant, ubi fortiſſimus ac prudentiſſimus quisque rerum aſperitate preſſus hæreret ac vacillaret: Tu qua polles ſapientia ac dexteritate, de maximis ſemper difficultatibus expedire Te ſoles ita feliciter, ita præclare; ut qui conſilia tua & agendi rationem non partium ſtudiis, ſed factorum veritate metiuntur; ii Te pari gloria politicam ſagacitatem cum Theologica prudentia conjunxiſſe; pari gloria & hominis Chriſtiani & Regii Conſiliarii mu-

nia

nia exécutum esse mirentur , fateantur , gaudeant.

Vidimus non ita pridem fortissimi ac sapientissimi REGIS jussu de Lusitania expelli Pontificium Legatum : vidimus Lusitanis omnibus commercium cum Romana Curia intercludi : vidimus Jesuitarum Ordinem tamquam Regis & Regni hostem proscribi , ipsorum bona publicari : vidimus de Proceribus nefariæ conjurationis auctoribus capitale supplicium sumi : vidimus Ecclesiasticarum cupiditati , & avaritiæ fibulam imponi : vidimus Bullam quæ Cœnæ *dicitur in perpetuum aboleri : vidimus* Librorum prohibitorum Indicem Romano-Jesuiticum *penitus explodi : vidimus ab Episcopis Matrimonii impedimenta tolli : vidimus denique Regiam Curiam Censoriam institui , quæ rem librariam quanta quanta est , summo imperio moderetur. Grandia hæc profecto omnia , EXCELLENTISSIME COMES ; admiranda , nova , numquam a nostris visa , numquam audita. Sed quantâ interim in Apostolicam Sedem observantiâ , quanta in Regem fide Te suasore imperata , Te impulsore in executionem missa !*

Olim ubi Sacerdotium ab Imperio dissidere

re contigisset, omnia tumultu, seditione, intestinis bellis, sacrilegiis, rapinis, sanguine compleri videbamus: violari templa, attrectari sacras virgines, despicatui & ludibrio haberi Sacerdotes, res Ecclesiæ impiis hominibus prædæ esse, prophanis sacra, ima summis misceri. Talia sub Henrico IV, Friderico I, Friderico II, Ottone IV, Ludovico Bavaro, aliisque Cæsaribus experta est Germania. Talia sub Philippo Pulchro, Ludovico XII, Henrico IV Gallia. Talia sub Avenionensi schismate & sub Carolo V Imperatore tota Italia.

Contra in Lusitania nostris temporibus pacata omnia: nulla apud nos bella, nulli tumultus, nullæ seditiones, nullæ strages. Apostolica Sedes honoratur, Rex diligitur. Ecclesiastica Disciplina sancte ab Episcopis administratur: Ecclesiæ ejusque rebus & ministris sua reverentia constat. Reædificantur ædes sacræ, instituuntur collegia, studia instaurantur. Regia urbs privatis & publicis ædificiis ampliatur, ornatur, illustratur. Ditescit ærarium, exercitus colligitur, instruitur classis, arces muniuntur. Floret commercium, vigent leges, boni & benemeriti cives præmiis donantur, mali & im-

pro-

probi puniuntur. Cuncta denique ſub ipſo armorum ſtrepitu & militaribus exercitationibus, gratiſſimo otio, ſtabilique & perpetua pace gaudent. Sic unius hominis patientiâ factum eſt, ut paucis annis conſecuta ſit Luſitania, quod multis ſæculis præſtare non poſſet aliorum ferocia ſeu præceps animus. De Te proinde, EXCELLENTISSIME COMES, arte magis quam armis hoſtes profligante, merito dici poteſt, quod de Cunctatore Fabio Annibalem ſine pugna frangente cecinit Ennius, & ex Ennio Virgilius poſtea:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

O nimium beatos Luſitaniæ populos, quibus licuit eſſe tam felicibus, ut quo tempore in veſtram perniciem conjurarant tot domeſtici, tot externi hoſtes; talem ipſi nacti REGEM fueritis, qui nihil ſibi glorioſius ducit, quàm ſubditorum incolumitati commodisque proſpicere: talem nacti Regium Adminiſtrum, cui nihil antiquius eſt, quam de religione, de patria, de civibus, de liberalibus diſciplinis omnibus bene mereri. Debetis utique tanto REGI acceptum referre, quod diſcuſſa & diſſipata funditus

tus avitæ ignorantiæ & superstitionis caligine, cui per annos ducentos fueratis immersi; nova nunc & splendidissima rerum ac doctrinarum luce ita perfundamini, ut qui antehac exteris nationibus ludibrio eratis, jam vel illuminatissimis gentibus admirationi sitis & exemplo. Debetis pariter tanto Administro æternùm esse obstricti eo nomine, quod ab optimo & sapientissimo REGE restituendæ Lusitanorum gloriæ tamquam intimæ admissionis Consiliarius admotus, vestris commodis atque emolumentis ita invigilat, ut non sibi, sed Regi & patriæ vivere videatur. Hæc illustris & omnibus sæculis memoranda Epocha erit vestræ gloriæ, vestræ libertatis, vestræ culturæ: ut pro tantis tamque egregiis beneficiis in vos ab utroque collatis, REGI quidem omnem caritatem vestram, amorem, fidem, observantiam, obedientiam, vitam ipsam, vosmetipsos, vestra omnia libenter dedicare, addicere, devovere: Administro autem REGIS immortales gratias agere & referre, vitam longissimam, æternam felicitatem precari: uxorem, liberos, nepotes, fratres, perpetuo incolumes, perpetuo beatos, fausta omnia optare debeatis.

Sed ut aliquid de mea hac Dissertatione paullo distinctius prælibemus, non dubito fore plerosque, EXCELLENTISSIME COMES, qui ut sibi videntur omnia sapere, ita susceptam a me narrationem de Gestis & Scriptis Gregorii Papæ VII non solum inutilem, verum etiam supervacaneam arbitrentur. Hos audire mihi videor secum ita obmurmurantes: Gregorii Papæ in Henricum Imperatorem acta cuivis notiora esse, quam ut novis commentariis explicari illustrarive postulent. Constare omnibus, a Gregorio Henricum non solum de Ecclesia, sed etiam de Regno expulsum: absolutos fidelitatis sacramento subditos omnes: scissa in contrarias partes Germanorum & Romanorum studia: intestinis bellis, mutuis odiis omnia conflagrasse.

His ego ita respondeo: aliud esse rei summam nude spectare, aliud in interiora pervadere. Illud doctis quibuslibet, imo vero ipsis de trivio hominibus perfacile: hoc solis illis concessum, qui non contenti scire quæ facta sunt, primum in causas quoque & prætextus propter quæ facta sunt, diligenter inquirunt: deinde quinam ejus qui fecerit mores & ingenium fuerint, pari solertia rimantur: denique quid ex fa-

factis ipsis sit consecutum, quænam inde sive rerum sive hominum mutationes ortæ adcurate perpendunt. Hæc autem rite præstare non potest, nisi qui indefesso labore veritatem ex ipsis fontibus hauriat, antiqua scilicet monumenta perlustrando, Libros squallore & situ obsitos excutiendo, Synchronos Scriptores adeundo, eosdem inter se conferendo.

Id vero qua ego fide ac diligentia sim executus, Tu harum rerum, si quis alius, peritissimus ac studiosissimus, optime judicare potes, EXCELLENTISSIME COMES: *a quo proinde si hæc Dissertatio adprobata fuerit, nullius ego censuras, nullius reprehensiones debeo pertimescere. Nam Gregorii VII cum Henrico IV pertinacissimam ac funestissimam controversiam descripturus, non ego Baronii, non Gretzeri, non Romani Breviarii, non alicujus junioris Scriptoris fide omnino steti: sed eorum qui sub ipso Gregorii Pontificatu, vel proxime secutis temporibus floruere, Historias & Annales diligenter perscrutatus, sic meam narrationem institui, sic judicium interposui; ut cum res ipsas non nisi ex fide probatissimorum Auctorum retulissem, ubi ad enarrandas causas & præ-*

tex-

textus ventum est, non alia proposuerim, quam quæ ex rebus ipsis naturaliter & quasi sua sponte defluebant. In quo ducem mihi perpetuo adfuisse non dissimulo Onuphrium Panvinium Veronensem, ex Eremitarum S. Augustini Familia Scriptorem nobilissimum & candidissimum; qui quanto est in Gregorii laudes effusior, tanto minus suspectus haberi debet.

Si quid tamen interea minus castigatum, si quid inconditum, si quid redundans inter legendum offenderis: id Tu, quæso, EXCELLENTISSIME COMES, *cujus sunt omnia limatissima & ornatissima, emendare, inducere, præcidere non graveris. Mihi enim propositum est nihil omnino evulgare, nisi quod Tibi omnium studiorum politissimo Mecænati omni ex parte probetur. Nam si veteri Poeta judice,* Principibus placuisse viris non ultima laus est; *me utique judice, Tibi placuisse laus est prima & summa. Olisipone Novembris die* XX, *anno* MDCCLXVIII.

Tibi devinctissimus & obsequentissimus

ANTONIUS PERERIA FIGUEREDIUS.



DISSERTATIO
HISTORICA & THEOLOGICA
DE GESTIS AC SCRIPTIS
GREGORII PAPÆ VII
ADVERSUS HENRICUM IV IMPERATOREM



I.



REGORIUM Papam VII antea Hildebrandum dictum, primum fuisse omnium Pontificum Romanorum, qui prætenso clavium jure sibi & successoribus suis potestatem adrogavit deponendorum Regum, subditorumque a fidelitate, & obedientia illis debita ac jurata absolvendorum; res est hodie apud cordatos omnes exploratissima, & eorum, qui Gregorio ipsi æquales fuerunt, vel proximi, apertissimis testimoniis comprobata. Ex

qui-

quibus Sigibertus Monachus e Benedictino Ordine sic scribit in *Chronographia* sua ad annum 1088.[a] *Hæc sola novitas (non dicam hæresis) necdum in mundo emerserat, ut Sacerdotes illius qui dixit Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi; doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subjectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, qui contra Regem senserint; imo qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit a noxa injustitiæ & perjurii absolvatur.* (Hæc scilicet dogmata erant a Gregorio Papa tunc primum in Ecclesiam invecta.) Clerus quoque Leodiensis in vehementissima illa & elaboratissima epistula adversus Paschalem Papam II, quam nobis conservavit Udalricus Babenbergensis in Codice ab Eccardo edito num. CCXXXIV.[b] *Hildebrandus Papa auctor est hujus novelli schismatis, & primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diadema Regni.* Godefridus item Viterbiensis in Chronico, parte XVII.[c] *Ante hunc Imperatorem* (inquit) *non legimus aliquem a Romano Pontifice excommunicatum, aut imperio privatum.* Denique Otto Frisingensis Episcopus, eorundem tem-

a SIGIBERTUS ex editione PISTORII pag. 606. Francof. 1613.

b UDALRICUS ex editione ECCARDI Tomo II. pag. 248. Lipsiæ 1723.

c GODEFRIDUS ex editione PISTORII pag. 499.

temporum Scriptor nobilissimus & candidissimus, libro VI. Chronici, cap. 35. *Lego, & relego Romanorum Imperatorum gesta, & nusquam invenio aliquem eorum ante hunc Henricum a Romano Pontifice excommunicatum vel Regno privatum.*

II. Non ignorabant sane Scriptores isti, multatos anathemate diversis temporibus fuisse a Romanis Pontificibus jam antea diversos Imperatores & Reges, sive ob hæresim, sive ob incestas nuptias: nempe Anastasium a Symmacho, Leonem Isauricum a Gregorio II, Lotarium Juniorem a Nicolao I, Robertum Galliæ Regem a Leone IX. Sed nondum per ea tempora credebat quisquam, pollere ea vi excommunicationis sententiam, ut qui illa erant constricti, ii non solum a divinis Sacramentis, piorumque cœtu, verum etiam a civilium rerum administratione, subditorumque obsequio & famulatu prohibiti censendi essent. Quod quia primus docuerat Gregorius VII, ideo ejus in Henricum IV agendi rationem, tamquam novum & inauditum quid improbabant plurimi ea tempestate illustres viri.

Itaque ex iis etiam, qui Gregorio impensius favebant, multi insolentiâ rei attoniti proferri sibi exempla aliquot postulabant, unde tanta clavium comprobaretur auctoritas. Nec defuere, qui Gregorio ipsi objicerent, quod quasi fluctuans in re nova, & de suamet potestate dubius, Henricum jam solemniter excommunicatum solemniter-

que deponi juſſum, modo Imperatorem negaret, modo agnoſceret Imperatorem.

III. Primum illud nos docet illorum temporum Scriptor anonymus, quem fuiſſe alii ſuſpicantur Waltramum Naumburgenſem, alii Venericum Epiſcopum Vercellenſem ipſius Henrici Imperatoris Cancellarium, & a quo habemus bene longam & ſatis doctam Apologiam ejuſdem Cæſaris. Sic enim ſcribit non longe ab initio: [a] *Erat inter hæc Herimanno Metenſi Epiſcopo non modica cura vel de obedientiæ ſententia, vel de fidei ſuæ obſervantia. Noverat enim ſe obedientiam debere Romano Pontifici propter Primatum Sedis Apoſtolicæ; noverat etiam ſe fidei, quam juramento promiſerat Regi, debitorem eſſe, quorum alterutrum violare magni eſt periculi: & ideo reus eſſe videtur grandis piaculi, per quem facta eſt hæc diſceſſio inter Rectores mundi. Sed ille Gregorius, qui & Hildebrandus, ſecurum quodammodo fecit prædictum Epiſcopum, & reliquos fautores partium ſuarum ſuper juratæ fidei prævaricatione, ſcribens quendam Pontificem Romanum omnes Francigenas a juramento fidelitatis, quam Childerico inutili (ut ipſe etiam dicit) ad Regni gubernacula Regi promiſerant, abſolviſſe: ut intelligatur, ſe quoque tali exemplo poſſe, quos voluerit, a ſacramento fidelitatis abſolvere.*

IV. Alterum aperte diſcimus cum ex *Hiſtoria Bel-*

[a] Apologia Henrici IV. ex edit. Freheri pag. 1588. Francof. 1600.

Belli Saxonici a Brunone Merseburgensi conscripta, tum ex litteris Germanorum ad Pontificem, quarum exemplum nobis reliquit idem Bruno, [a] cujus hæc verba sunt: *Interea Dominus Apostolicus Apostolici vigoris oblitus (qua causa nescimus) multum est a priori sententia mutatus. Nam qui prius Henricum cum omnibus suis adjutoribus Apostolica severitate excommunicaverat, eique regnandi potestatem potenter interdixerat, & omnes, qui ei fidelitatem jurassent, a juramenti nodis Apostolica auctoritate absolverat, & electionem novi Regis Rodolphi consensu suo confirmaverat: nunc per litteras mandavit, ut Concilio facto Rex uterque convocatus audiatur, & quem justitia regnare permiserit, altero deposito, tutus in Regno confirmetur.* Scilicet exauctorato a se Henrico, Germanis Principibus (ut Otto Frisingensis memoriæ prodit) auctor fuerat Gregorius, ut Rodulphum Sueviæ Ducem Imperatorem substituerent: cui electo ipse statim auream coronam misit, non tam gemmis, quam hoc versiculo insignem: *Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulpho.* Sic Pontificiæ Dignitatis quasi fulgore cæcutiens non videbat Gregorius, Principe uno deposito, alteri imperium dare, id prorsus alienum esse a Vicario illius, qui in Evangelio diserte fuerat protestatus, Regnum suum *non esse de hoc mundo*; & qui interpellatus a quodam de dividunda si-

a. Bruno ex edit. Freh. p. 138.

ſibi hereditate reſpondit: *O homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?*

V. Sed cum interim ſæva diſſentione de imperio inter Henricum & Rodulphum coorta, alter ablatum ſibi regnum reſtitui, alter denuo acquiſitum ſibi confirmari poſtularet: litteras pro illa controverſia ſedanda ad Germanos dedit Gregorius, quarum novitate & inconſtantia moti illi, ſic ad eundem Gregorium reſcripſerunt, Brunone teſte: [a] *Quum de electo nobis Rege, & non de Regibus ſpes magna ad refocillandum Imperium ſuccreſceret; ecce ex inſperato litteræ veſtræ advenientes duos in uno Regno Reges pronuntiant, duobus legationem decernunt. Quam Regii nominis pluralitatem, & quodammodo Regni diviſionem, diviſio quoque populi & ſtudia partium ſubſecuta ſunt: quippe cum in epiſtulis veſtris illius prævaricatoris perſonam ſemper præponi cernerent, & ab eo ſicut a potente exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad diſcutiendas cauſas præberet. Cujus diſcuſſionis qualis modus ſit (ut ſalva gratia veſtra dicamus) mirabile eſt in oculis noſtris, ſcilicet, ut is qui jam ſynodali judicio nulla conditione interpoſita depoſitus eſt, alio in eandem dignitatem Apoſtolica auctoritate firmato, nunc tandem ad rationem ponatur, & quod finitum eſt, denuo incipiatur, & de re indubitabili quæſtio moveatur.* Sic vel iis, qui Grego-

a Ibid. pag. 141.

gorio mordicus adhærebant, parum ſibi conſtans in depoſitione Henrici videbatur ipſe Gregorius.

VI. Sed tempus jam eſt altius indagandi, quænam tanti incendii origo fuerit, & unde tantam iram adverſus Cæſarem conceperit Pontifex; ut (ſi Imperatori ipſi fidem habemus) palam adfirmarit Gregorius, *aut moriturum ſe, aut Henricum vita & imperio privaturum.* Id autem quoniam & ad tenendam rei ſummam maxime confert, & aliunde propter ipſam Perſonarum dignitatem quamadcuratiſſime ac decentiſſime enarrari debet; de primo eoque funeſtiſſimo inter Sacerdotium & Imperium diſſidio acturus, rem ego narratu ſatis difficilem aliorum potius, quam meis verbis exponendam duxi. Cum vero ceteris omnibus, qui Gregorii cum Henrico controverſiam memoriæ mandarunt, candore & auctoritate facile antecedat Onuphrius Panvinius Veronenſis, ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini; hunc maxime Scriptorem ſequar, utpote qui propter ſingularem pietatem eximiamque eruditionem, & propter egregia multa in Apoſtolicam Sedem merita, dignus omnino eſt, quem vel ipſi Romani judicent ſinceriſſimum, & ab omni ſtudio partium penitus alienum. Sic igitur ille ſcribit in Libro *De varia creatione Romanorum Pontificum*, unde ea quæ ad Gregorium VII pertinent, deſumpſit, & denuo publicavit Jacobus Gretzerus Jeſuita. [a]

Hæc

[a] PANVIN. ex edit. GRETZ. Tom. VI. pag. 106. Ratisbonæ 1735.

VII. *Hæc omnia ut accuratius intelligantur, & unde tot malorum & schismatum origo inchoaverit, cognoscatur; eorum temporum consuetudinem referam, ejusque primordia paullo altius repetam.*

Erat tum consuetudo a temporibus Caroli Magni Imperatoris, ut alicujus urbis, vel Abbatiæ Episcopo, aut Abbate mortuis, statim Clerus, vel Monachi in unum congregati, Legatos ad Imperatorem, qui tunc erat, dirigerent, ad quem defuncti Prælati pedum Pontificale, & annulum deferentes, eum pro novo Antistite deligendo nomine sui Collegii interpellabant. Qui statim Senatu suo congregato, ex ipsius plerumque sententia, unum vel ex ipsis collegiis, vel ex amicis, & Capellanis, ceterisque domesticis & familiaribus suis, juxta loci dignitatem, ut ei libitum erat, pro arbitrio a se electum annulo, & virga pastorali Prælati defuncti ad se transmissis donabat; eumque de illo Sacerdotio diplomate suo imperiali (ut tum dicebatur) investitum, hoc est, illa dignitate donatum, in Episcopum, vel Abbatem consecrari mandabat, absque alia Cleri, & Monachorum electione. Hoc autem per Galliam, Germaniam, & Italiam, quæ tunc Latinus Orbis censebatur, usurpari mos erat. Cujus exemplum ceteri quoque Reges, ut Hispaniæ, Francorum, Hungariæ, & ejusmodi imitati sunt.

Hanc

Hanc autem consuetudinem, cum omnes ut dixi, Latini Orbis Ecclesiæ, tum sæpe, & diu in multis suorum Pontificum electionibus servavit Romana Ecclesia, & præsertim in Joannis XIII, Gregorii V, Silvestri, Clementis, Damasi, Victoris, Nicolaique II, & Leonis IX Romanorum Pontificum electionibus: qui omnes ut supra vidimus, Imperatorum Ottonis I & III, Henrici quoque III & IV sententia, Romani Pontifices sine Cleri Romani suffragiis electi, & ab eisdem Imperatoribus per annulum & virgam de Papatu Romano investiti fuerant.

VIII. Id juris in Cæsaribus postquam a Justiniano & Successoribus Urbis Dominis ac Defensoribus, deinde a privilegiis Hadriani Papæ I, & Leonis Papæ VIII, Carolo Magno & Ottoni I concessis repetiisset Panvinius: narrationem ille suam hoc modo prosequitur:

Porro autem contra hoc Leonis VIII decretum nullus deinceps Romanorum Pontificum reclamavit, vel aperte contradixit usque ad Gregorium VII. Hic primus fuit, qui Imperatorum simonia offensus, in contrarium editis decretis hæc duo Hadriani I & Leonis VIII privilegia omnino abrogavit & induxit. Satis autem constat Joannem XIII qui Leoni VIII immediate successit, Gregorium V & Silvestrum II Apostolicæ Sedi sola Imperatorum auctoritate impositos fuisse, nullis Cleri, vel populi Roma-

ni suffragiis expetitis. Ceteri vero Romani Pontifices, qui inter Joannem XIII & Silvestrum II fuerunt, etsi eos electos fuisse ab Imperatoribus non legatur, sed a Clero, Senatu, populoque Romano: id accidit, quod electionis tempore Imperatores urbe absentes adeo maximis in Germania, & alibi bellis impliciti essent, ut de novo Pontifice Romanæ Sedi providere non possent. Illud tamen constat, dum Imperatores (tres Ottones loquor) in urbe, vel prope, aut certe in Italia fuerunt, & Romanorum Ecclesiam pastore vacare tum contigisset, eos novum Summum Pontificem dedisse. Si vero tempore novæ electionis eos ab Italia procul esse contigisset, certum est, tum Romanos Pontifices a Clero, Senatu, populoque Romano electos non absque Imperatorum consensu consecratos fuisse. Fuerunt autem Benedicti duo VI & VII, Bonifacius VII Apostolicæ Sedis invasor, qui etiam exactus fuit, & Joannes XIV, XV, & XVI; quorum novissimus ut quidam scribunt, quod sine Imperatoris Ottonis III consensu electus, & consecratus esset, urbe fugatus Sacerdotio multatus est, Gregorio V subrogato.

IX. *Huic igitur privilegio a Leone VIII usque ad Gregorium VII a nemine umquam Papa reclamatum est: quamquam non omnino fuerit negligentia Imperatorum observatum. Verum Ottone III Imperatore sub Silvestro II circa annum Domini millesimum mortuo, qui ei*

suc-

successit Henricus II vir sanctissimus, & inter Divos relatus, & post eum Cunradus II, ejusmodi privilegium curare visi non sunt. Ceterum cum ob eorum negligentiam in Imperii jure tuendo, privilegium Leonis VIII obsolevisset, octo vel novem Romanis Pontificibus sine eorum electione a Clero, Senatu, populoque Romano creatis, occasione maximi inter tres Pontifices schismatis accepta: Cunradi II filius Henricus III in Italiam venit, Imperiique hoc privilegium magnifice vindicavit, & abrogatis tribus Pontificibus Benedicto VIII, Silvestro III, & Joanne XX Gregorio quoque VI privato, novum Pontificem Romanæ Sedi dedit Suidegerum Saxonem Capellanum suum, Episcopum tunc Bambergensem, quem Clementem II appellavit: Cardinalesque, Clerum, Senatum, populumque Romanum sacramento adegit in verba sua jurare cogens, se Romanum Pontificem nisi suo jussu creatum non suscepturos. Qui dum vixit, hoc præstantissimum Imperii jus mordicus retinuit, & Clementem II, Damasum II, Leonem IX, & Victorem II, suo arbitrio Romanos Pontifices designavit.

X. *Gregorius VII jam inde a Gregorii VI depositione male adversus Imperatores animatus, Pontifex factus nullam occasionem prætermittebat, qua Imperatores auctoritate creandi Romanum Pontificem spoliaret. Cui rei maximum incendium obtulit Comitissa Mathildis, quæ*

jure quodam contra Imperatorem ipsum procedere poterat. Mathildis enim illustris illa & tota Italia celebratissima femina, Bonifacii maximi per Italiam Principis filia & heres; Imperatoris Henrici IV vim timens, Longobardiæ, Tusciæ, & Liguriæ aliquot urbes jure hereditario ad se pertinentes Gregorio Papæ & S. R. E. donavit. Hinc odii inter Imperatorem, & Pontificem seminarium primo exortum, cum Imperator donationem illam in Imperii (cujus Mathildis beneficiaria erat) præjudicium approbare nulla ratione voluisset; imo ea omnia occupare tamquam ad se devoluta tentaret. Tunc enim Pontifex opportunitatem nactus, quod Imperator sibi jura vendicaret Ecclesiæ, postea eum excommunicavit, alia demum accedente, quæ periculosissima erat causa. Henricus enim IV Imperator, cum multis, & maximis bellorum occupationibus implicitus ingenti pecuniæ vi indigeret; Episcopatus & Abbatias plerumque his, qui plus ei offerebant, largiebatur, personarum conditionis nulla habita ratione. Quod factum hæresis simoniacæ labem effugere non poterat. De hac igitur re & aliis multis criminibus apud Apostolicam Sedem tam sub Alexandro II, quam sub Gregorio VII accusatus, sæpe a Gregorio VII admonitus est, & acriter reprehensus. Quem cum sibi recte admonenti obtemperare nolle Pontifex cognovisset, eum litteris minarum plenis urgere cœpit. Animum Papæ sua-

ſuapte natura contra Imperatorem commotum excitabant aliquot Germaniæ, & Saxoniæ Principes Henrico rebelles; quorum & Nortmanncorum præſidiis, Comitiſſæ quoque Mathildis auxilio fretus, multa contra Imperatorem, cum primum potuit, auſus eſt.

Igitur anno Domini MLXXV *rebus non verbis amplius tranſigendum eſſe ratus, Legatos ſuos ad Imperatorem miſit, ipſi mandans, ut ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima anni proximi* MLXXVI. *Romam ad Synodum veniret, de criminibus, quæ ei objecta erant, cauſam dicturus: alioqui ſciret, ſe abſque omni mora eodem die anathemate notatum iri. Quæ legatio adeo Henricum permovit, ut rejectis ſtatim gravi cum contumelia Legatis, duo tunc primum agitaret: unum ut clam Gregorium capere vel interficere faceret; aliud ut niſi ejuſmodi res ſucceſſiſſet, ipſum Pontificatu privaret.*

XI. Ex hac candidiſſimi & politiſſimi Hiſtorici narratione multa diſcimus ſcitu haud indigna, & aliunde ad cauſam, de qua agimus, probe cognoſcendam, omnino neceſſaria. *Primum*: a Juſtiniani Auguſti temporibus, hoc eſt, a medio ſæculo VI uſque ad tempora Gregorii Papæ VII, hoc eſt, uſque ad ſæculum XI; eo jure, vel ſi mavis ea conſuetudine uſos eſſe Romanos Imperatores, idque Romanis Pontificibus nequaquam reclamantibus, imo vero re & verbo conſentien-

ti-

tibus: ut nulli ſive Romanæ Eccleſiæ ſive aliis per totam Italiam, Germaniam, Galliam, ceterasque Latini orbis Provincias Antiſtites præficerentur; niſi quos ipſi adſenſu ſuo confirmaſſent, vel ut tunc loquebantur, dignitate illa inveſtiſſent. *Alterum*: longævæ huic conſuetudini, nixoque ipſa conſuetudine juri, jam ante adeptum Pontificatum acriter obluctatum fuiſſe Gregorium VII; quaſi ejuſmodi conſuetudine & Apoſtolicæ Sedis dignitas, & ſacrarum electionum libertas peſſundaretur. *Tertium*: Pontificem factum nullam occaſionem prætermiſiſſe Gregorium VII, qua Imperatores & Reges jure illo ſpoliaret. *Quartum*: ex duplici occaſione ſibi oblata duplicem cauſam prætendiſſe Gregorium VII adoriendi Henricum IV Imperatorem; quippe qui & ſimoniæ infamiâ laboraret, & donationes Mathildis Comitiſſæ in favorem Sedis Apoſtolicæ factas, tamquam Imperio damnoſas vellet reſcindi. *Quintum*: armatum tandem & diſcordiâ Germanorum Principum, & Nortmannorum ferociâ, & Mathildis Comitiſſæ opibus, perdendo Cæſari manum admoviſſe, qui ſuapte natura Cæſari erat infenſus.

XII. Nempe ubi primum Pontificatum adeptus eſt Gregorius, mox ut erat vir animi præexcelſi & Pontificiæ dignitatis amplificandæ ſupra modum ſtudioſus; deprimendis ſæculi Principibus etiam potentiſſimis, condendæque Papali Monarchiæ diligentiſſime, & ſine intermiſſione ſtuduit. Ita-

Itaque poſtquam Synodalibus decretis caviſſet ſub anathematis pœna, ne quis de manu ſæcularium Principum Epiſcopatum vel Abbatiam acciperet; neve Principibus ipſis Dominis ſuis fidelitatis ſacramentum (ut moris erat) præſtarent Epiſcopi: tributa deinde imperare cœpit tamquam unicus orbis terrarum Monarcha Regibus Angliæ, Hungariæ, Daniæ, & Hiſpaniæ. Teſtantur id ejuſdem Gregorii epiſtulæ hodieque extantes, quas quia ante annos ſeptuaginta in medium adduxit Illuſtriſſimus Boſſuetus, haud neceſſe eſt hoc loco a nobis denuo recitari. Neque Panvinius diſſimulat, his decretis jacta a Gregorio fundamenta eſſe, quibus Romani Imperii poteſtas omnino labefactaretur.

XIII. Sed pro confirmandis iis, quæ de Gregorii conſiliis & ingenio paullo ante adfirmavi; operæ pretium erit Panvinio Aventinum adjungi, qui de eadem controverſia pari candore & fide egerat in *Annalibus Boiorum* initio ſæculi decimi ſexti. Sic autem ille ait libro v. capite XIII. [a] *Gregorius VII, qui & Hildebrandus, fretus armis Nortmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur; confiſus etiam opibus Mathildæ mulieris impotentis, & diſcordiâ Germanorum: primus contra morem maiorum, contempta Imperatoris auctoritate, Pontificatum Maximum occupavit. Utramque perſonam ſibi im-*

po-

a AVENTINUS pag. 540. Lipſiæ 1710.



positam esse a Christo : se quodcumque uti liberet, ligare, solvere posse, jactitare : utramque personam agitare, occidentem adserere, omnem potestatem in se transferre : neminem parem, nedum Superiorem ferre : justa aliorum diminuere, ceteris jus atque honorem præripere. Cæsares, Reges, Augustos, ut precario regnantes flocci facere : Episcopos in ordinem redigere, devovere, capite minuere : lites, bella concitare, discordias serere, factiones confirmare : jusjurandum, pacta, sacramenta solvere cœpit. Etiamsi injuria vel ipsum Cæsarem adfecerit, tamen se metui oportere in quadam gloriatur epistula ; utpote qui errare non possit, & a Christo Domino Servatore nostro, Petroque acceperit potestatem, ut solvat ligetque utcumque libeat. Hactenus Aventinus.

XIV. Jam ut de causis conflati odii inter Gregorium & Henricum nostrum quoque judicium interponamus, si de objectis Cæsari criminibus nundinationem sacrorum demeris, nihil video sane, propter quod in odium & indignationem Pontificis incurrere ille debuerit. Nam quod Mathildis Comitissæ donationes immodicas & fraudulentas in præjudicium Imperii, cujus illa fiduciaria erat, factas impugnaret Henricus ; id ille suo jure impugnare poterat cùm aliis de causis, tum inde præsertim, quod Cæsari justa timendi causa erat, ne tot Provinciarum accessione in perniciem Imperii abuteretur Gregorius. Suo enim

pe-

periculo & experimento didicerat Cæſar, quandiu ſolis Fidelium oblationibus victitabant Romani Antiſtites, cultos & honoratos ab iis fuiſſe, ut ſupremos Dominos ſuos, a Deo ſecundos, & ſolo Deo minores, vel ipſum Neronem, & Domitianum, & Conſtantium, & Valentem, & Julianum, & Anaſtaſium, & Leonem Iſauricum, ceterosque Auguſtos omnes, etiam Paganos, etiam Hæreticos: poſtquam autem Pipini, & Caroli Magni largitionibus ditati ſunt, cœpiſſe ab iiſdem deſpici, ut precario regnantes Germanicos Imperatores, ceterosque Reges & Principes Chriſtianos.

XV. Quod autem nimis ægre ferebat Henricus, a Gregorio privari ſe prærogativa illa, qua non ſolum Epiſcopos, & Abbates omnes; ſed etiam ipſos Romanos Pontifices deſignare & inveſtire ſolebant Germani Imperatores: in eo pro quingentorum annorum poſſeſſione ille pugnabat, Anteceſſorum ſuorum innumeris exemplis firmata, ipſorumque Pontificum Romanorum ſive indulgentia, ſive conſenſu quodammodo conſecrata. Nec ſine ratione dolebat Henricus, corruptelæ loco haberi a Gregorio VII eum morem, cui Gregorius I, ſanctiſſimus ille & modeſtiſſimus Pontifex, Agatho item, Benedictus II, Leo IV, Nicolaus I, Hadrianus uterque I & II, Stephanus IX, Leo IX, Victor II, & tot alii Pontifices ſanctitate æque ac doctrina illuſtres acquieverint. Neque ſolum acquieverant ceteri, verum etiam

Synodali Decreto Romæ de consensu plurimorum Episcoporum, & ipsius etiam Gregorii tunc Diaconi, talem prærogativam Germanis Imperatoribus confirmarat nuper Nicolaus II, quemadmodum & in Farfensi Chronico legimus, & Leo Ostiensis in Cassinensi Chronico lib. III. cap. 50. diserte testatur. [a]

XVI. Quid quod Henrico III Henrici IV parenti sancte jurarat Gregorius adhuc Diaconus, numquam se passurum, ut vel ipse vel aliquis alius Pontifex fieret injussu Imperatorum? Id Gregorio ipsi jam Pontifici per litteras objecit Henricus Spirensis Episcopus, ut in Udalrici Babenbergensis Codice legimus, numero CLXII, & apud Goldastum in Constitutionibus Imperialibus. [b] *Tu ipse*, inquit, *bonæ memoriæ Henrico Imperatori te ipsum corporali sacramento obstrinxisti, quod numquam vivente ipso Imperatore, aut filio ejus glorioso Domino nostro Rege, qui modo summæ rerum præest, Papatum aut ipse susciperes, aut alium quantum in te esset suscipere patereris, absque assensu & laudamento vel patris dum viveret, vel filii dum ipse viveret. Atque hujus sacramenti sunt hodie testes plerique Episcopi, qui hoc tunc & oculis videre, & auribus audivere.* Ejus autem rei Spirensi Episcopo fidem facit Bernaldus Constantiensis Presbyter in Apolo-

a Rer. Italic. Script. Tom. II. P. II. pag. 645. & Tom. IV. pag. 467.

b UDALRICUS ex editione ECCARDI Tomo II. pag. 172. GOLDAST. Tom. I. pag. 238.

logia Gregorii VII ævo illo conſcripta, quam Tomo operum ſuorum ſexto inſeruit Gretzerus. [a] Neque factum negat Baronius ad annum MLVIII, imo teſtimonio confirmat ſynchroni alterius Scriptoris Lamberti Schafnaburgenſis.

XVII. Extat de hoc argumento in eodem Udalrici Codice anonymi & antiqui pariter Scriptoris Diſſertatio non contemnenda, ubi inter alia hæc leguntur, quibus ſuperior Panvinii narratio mirifice illuſtratur. [b] *Neceſſarium fuit*, inquit, *ut Romani Principes, quorum conſenſione ac donationibus Eccleſia uſquequaque ſublimata bonore, divitiis præeminebat, priſtinæ poteſtatis jure retento, & partium tumultum pœnæ inferendæ metu compeſcerent, & electionem Pontificum partium ſtudio, & non canonice factam provenire non ſinerent. Unde primum conſuetudo in Romana Eccleſia antiquitus merito cœpit, ut electo Præſule non ejus prius ordinatio celebraretur, quàm Cleri & populi decretum in præſentiam Romani Principis deferretur; ut cognito Cleri & populi conſenſu & deſiderio, ſi recte & ordine electio proceſſiſſe cognoſcens, conſecrationem ex more celebrandam eſſe juberet. Quod demum Sancti Patres, qui Romanæ Eccleſiæ merito præfuerunt, & ſervare ſtuduerunt, & ſervandum in poſterum eſſe decretis & exemplis ſuis utiliter & congrue ſtatuerunt.*

a BERNALDUS GRETZERI Tomo VI. pag. 77.

b UDALRICUS pag. 189.

XVIII. Jam Episcopatuum & Abbatiarum investitura (quam vocabant) privari se pati haud poterat Cæsar, nisi vellet simul Imperii dimidio multari. Quod ut rite intelligatur, audiamus, quæso, rursus nostrum Panvinium, ea de re non minus adcurate quam politice disserentem. *Erat tunc consuetudo*, inquit, *ut ex omnibus Orbis Latini partibus infinita prope hominum diversarum conditionum millia, aulam Imperialem frequentarent. In his aderant diversarum Congregationum Monachi, Doctores, viri litterati, nobiles, & ignobiles; qui omnes eo confluebant, spe ducti, ut ab Imperatore Sacerdotia consequi possent,* QUEMADMODUM NUNC USUS EST IN ROMANA CURIA. *Imperator enim non solum Episcopatus omnes, & Abbatias, minoraque omnia Sacerdotia, ut Præbendas, Canonicatus, Præposituras, & Decanatus conferebat; sed etiam, ut jam visum est, Romanum ipsum Pontificem designabat.*

Si igitur Gregorii decretis locus esset, illico consequebatur, ut omnis hæc aulæ Imperialis maiestas obsolesceret, spe consequendi a Cæsare Sacerdotia sublata, quæ jam per electionem tradebantur, nullo amplius Imperatoris interventu; nec præterea a tot diversarum nationum illustribus doctrina, & nobilitate viris frequentari contigisset aula Imperialis.

XIX. *Altera vero causa, qua Imperator valde urgebatur, & quæ multo maioris momenti* ex-

existimabatur , erat : quod si Cæsar Prælatorum Investituras amitteret , maiorem Imperii sui , meliorem , fortioremque partem deperderet , & maximarum calamitatum seminarium Imperio faceret. Nam quando privilegia Carolo Magno , & Ottoni I Augustis ab Apostolica Sede de Prælatornm Investituris concessa fuere ; Ecclesiæ & Episcopatus tunc pauperes , tenues , & sine tot redditibus erant. Postquam vero juris Imperii facta est eorundem Prælatorum electio , quemadmodum & ceteri Principes sæculares , tum Cæsares , qui de religione bene mereri volebant , sine Imperii tamen præjudicio , cœperunt Episcopos & Abbates ob Religionem tamquam potiora Imperii membra præ ceteris laicis Principibus honorare ; profana ditione , & ingentibus opibus honestare ; arces , oppida , urbes , marchias , ducatus , provincias , pedagia , telonia , vectigalia , portoria , & multa alia , quæ Imperii propria erant , Episcopatibus concedere ; quæ vel ex suis propriis bonis , quæ ad Imperium pertinebant , vel ex alienis feudis erant. Nam laicis Principibus sine legitimo herede mortuis , eorum provincias , quæ fiduciario jure ad Imperium pertinebant , non aliis amplius laicis Regulis , sed Episcopis concedebant : atque hac ratione omnes Episcopatus , & Abbatias Italiæ , Galliarum , & Germaniæ , imo totius orbis Latini , & denique ipsum Pontificem Romanum , ex pauperibus ditissimos , & ma-

xi-

ximos Principes fecerant; ex eis ſcilicet opibus, quæ ante Imperii juris erant, in nulla re Imperialia propterea jura minui exiſtimantes. Quippe quod certi eſſent, eos omnes Prælatos a ſe deſignandos fore, & non niſi ſuo juſſu, & voluntate Sacerdotia ipſa obtenturos. Gregorius igitur ſuis decretis DIMIDIUM IMPERII CÆSARI TOLLEBAT. *Nam Epiſcopi nulla ratione adduci poterant, ut quæ ab Imperatoribus antiquis obtinuerant, dimittere, & Imperatori reſtituere vellent, cum ex ſua eruendi eſſent poteſtate: (id enim Cæſar ipſe quærebat) nec Imperator id agere poterat, ut Epiſcopi ea Imperio reſtituerent, quæ ab Imperatoribus, non ut Epiſcopi, ſed ut Imperialia membra obtinuerant. Si igitur Prælatorum deſignatio ab Imperatore auferretur, & Prælati retinerent Beneficia, & alia, quæ Imperii ante fuerant,* DIMIDIUM IMPERII OMNINO AB IMPERATORE TOLLEBATUR.

Accedit quod maxime Cæſarem angebat, quod ſi Epiſcopi Germaniæ, & Italiæ, cum ab Imperatore electi, & inveſtiti eſſent, vix in officio contineri poterant, ne contra ipſum varias & frequentes rebelliones molirentur; quid deinceps facturi eſſent, ſi omnino ex Imperatoris poteſtate eruti, & liberati eſſent, & in cujusvis Eccleſiæ, Capituli, vel Collegii poteſtate eſſet, nobiliſſimi, & potentiſſimi Epiſcopatus Antiſtitem quempiam Imperatori hoſtem acerrimum eligere, qui maximæ Imperii ruinæ cauſa deinceps eſſet? *Hæ*

Hæ igitur causæ sunt, quæ Cæsarem, & ceteros laicos Principes quam maxime adversus Pontificem commoverunt: Imperii enim vel omnino tollendi, vel in perpetuum stabiliendi causa tunc maxime tractabatur.

XX. Quàm multa & quam illustria documenta haurire ex hacce Panvinii digressione possunt hodierni Cæsares! Nempe cum per quingentos annos Imperatores fuerint, qui Romanos Pontifices facerent; nunc & ab annis sexcentis Romani Pontifices sunt, qui Imperatores faciunt. Olim in unius Cæsaris potestate erat creatio novi Pontificis: nunc pro maxima prærogativa habet Cæsar, si in Romanis Comitiis hunc vel illum ex Purpuratis Patribus Pontificem fieri vetet. Olim Episcopatus, & Abbatias omnes, quibus vellent, regio quodam jure conferebant Imperatores Germani: nunc de Privilegio sibi ab Apostolica Sede concesso gloriantur, quo possint Episcopos & Abbates nonnullos designare, & *Primarias Preces* nescio quas adhibere. Olim amplissimis honoribus præfecturisque plane regiis, & immensis opibus, Romanos Pontifices ceterosque Ecclesiæ Antistites ornarunt, locupletaruntque Cæsares, & reliqui Principes sæculares: nunc Beneficiis ipsis in perniciem largitorum versis, Cæsares, Reges, Principesque omnes sæculares, donatis opibus & præfecturis ipsis oppugnant Romani Pontifices.

XXI. Sed cur designandis Episcopis & Abbati-

tibus Henrico interdixerit Gregorius, admodum justa, inquies, causa erat sacrorum nundinatio, qua Henricus ipse non sine manifesta simonia iis, qui plus ei offerebant, maiora minoraque dabat Sacerdotia. Turpissimum & maxime abominandum crimen, fateor, præsertim in Principe, simonia. At Henrico tot maximis bellis implicito, tot subditorum Principum rebellionibus oppugnato, illud condonari posse videbatur, quod bello atque alieno ære oppressus aliquam auri summam postularet ab iis, quos Ecclesiasticis dignitatibus ornabat. Imo si illorum temporum mores nostris moribus metiri licet, non magis simonia videtur, quod ab Episcopatuum candidatis postulabat Cæsar, quam quod hodie a novis Episcopis *Annatarum* nomine exigit Pontifex.

XXII. Vidit hoc sane oculatissimus Aventinus: ideo sic exclamat in eodem loco, quem in superioribus indicavi. *Et tu vigilantissime Gregori, quidnam faceres, si te fortuna ad nostra tempora servasset, & nunc demum natus esses; quando a Pontificibus minoribus sexcenti exiguntur nummi; in tantum ut quosdam hoc munus obiisse pœnituerit, & quosdam designatos, rursus quod non esset unde avaritia Romanensium corvorum satiarent, abdicasse norim.... Tum simonia tibi, Gregori, erat; nunc absentium confirmationem, Annatas, ac nescio quibus aliis nominibus nuncupari audio.*

Vidit & ante Aventinum Theodoricus Niemus

mus Episcopus Verdensis & Cameracensis, tempore Constantiensis Concilii: qui in Scholiis ad Senatus-Consultum Romanum sub Leone VIII de Investituris Ecclesiarum *absque omni pecunia* a Cæsare exercendis, sequentia adnotat apud Goldastum in Constitutionibus Imperialibus. [a] *Nota quod semper excipitur simonia in concessionibus Episcopatuum & etiam maiorum Sedium. Et cùm ita sit, cur igitur ita introductum sit per Ecclesiam & Ecclesiasticos, qui Romanæ Ecclesiæ præfuerunt, quod per eos promovendi in Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, concordarent cum Camera Apostolica, & pro communi servitio Dominorum Cardinalium: & aliàs nullus creabatur Antistes, nisi hæc solveret?*

XXIII. At simoniæ crimini sacrilegium addens Henricus, Ecclesiis Dei perditissimos homines, nobiles & ignobiles, Episcopos præficiebat. Facinus gravissimum, rursus fateor, & quod nulla ratione excusari potest. Sed non minus detestandum erat, quod Gregorius non solum in Italia Comitissæ Mathildis iras & Nortmannorum ferocitatem, verum etiam in Germania Saxones, ipsosque Imperii Principes & Episcopos, adversus Imperatorem Dominum suum re & verbo concitabat, & ad defectionem urgebat: unde tot intestina bella, tot pugnæ, tot cædes, tot latrocinia, tot urbium & oppidorum depopulationes, tot templorum & sacrarum virginum violationes

a GOLDAST. *Const. Imp.* Tom. I. pag. 222.

ortæ ſunt ; quot ſine horrore & ſcandalo commemorari haud poſſunt, reveraque commemorantur ab illius ævi Hiſtoricis. Nam odio in Imperatorem maximo impenſum rebus ſuis favorem Mathildi Comitiſſæ rependiſſe Gregorium, locuples Auctor eſt Landulphus Senior eorum temporum Scriptor, cujus *Hiſtoriam Mediolanenſem* Libris quatuor comprehenſam nuper edidit celeberrimus Muratorius inter *Scriptores Rerum Italicarum*. Sic enim ille ſcribit libro IV. cap. I. [a] *Comitiſſa Mathildis, cum jam duobus fratribus emortuis, quos Henrici IV Imperatoris calliditate occiſos credebat, ſe ſolam ſuperſtitem videret; ſerpente qui olim Protoplaſtos in Paradiſo Dei decepit callidior, ipſum quærens Imperatorem regno privare, dolis acutiſſimis non armis laborans, Septimo adhæſit Gregorio.* Atque id ipſum ſignificat ejuſdem ætatis Scriptor alter anonymus in Apologia Henrici IV alibi jam a nobis commemorata, ubi Saxonibus adverſus Henricum rebellantibus hæc reſcripſiſſe Gregorium tradit: [b] *Ne ſolliciti ſitis, quoniam culpabiliorem eum reddo vobis.* Et paullo infra: *Ecce in quo totam ſpem Henricus poſuerat, adverſarium ſentiebat; utpote qui non ſibi, vel ſuo regno, ſed hoſtibus contra ſe conſulebat, opemque ferebat, ut eum aut expellerent, aut omnino perderent.* Et poſt multa alia: *Mathilda fau-*

[a] *Rer. Italic. Script.* Tomo IV. pag. 118.

[b] FREHER. pag. 161.

fautrix Hildebrandi, ejus secretis sermonibus assuefacta, ne adhuc quidem potest compesci muliebribus furiis instincta, ut pacem, quam bellum malit.

XXIV. Cosmas quoque Pragensis Decanus, Gregorio & ipse æqualis, in Chronica Bohemorum: [a] *Illis diebus venerat Romam Mathildis potentissima Domina, quæ post obitum patris sui Bonifacii totius Longobardiæ & Burgundiæ suscepit Regni gubernacula, habens potestatem eligendi & inthronizandi Episcopos supra* CXX. *Hujus quasi propriæ Dominæ ad nutum omnis Senatorius ordo parebat,* ET IPSE GREGORIUS PAPA PER EAM DIVINA ET HUMANA NEGOTIA DISPONEBAT: *quia erat sapientissima consiliatrix, & in omnibus adversitatibus sive necessitatibus Romanæ Ecclesiæ maxime fautrix.*

XXV. Hæc nequis forte eludere tentet exceptione inimicitiarum, ecce tibi Lambertus Schafnaburgensis Monachus Benedictinus, illorum temporum Scriptor elegantissimus, idemque Gregorii studiosissimus, in Libro *Rerum Germanicarum* sic diserte testatur: [b] *Mathilda post viri mortem Romano Pontifici pene comes individua adhærebat, eumque miro colebat adfectu. Cumque magna pars Italiæ ejus pareret imperio, ubicumque operâ ejus Papa indiguisset; ocyus aderat, & tamquam patri vel domino sedulum ex-*

D ii

a COSMAS ex edit. FREHERI pag. 38. Hanov. 1607.

b LAMBERT. PISTORII pag. 247. Francof. 1613.

exhibebat officium. Unde nec evadere potuit incesti amoris suspicionem. Quæ dum ex Lamberto commemoramus, absit ut vera credamus ea, quæ vulgi rumoribus jactata in Gregorium Mathildis causâ refert & impugnat idem Lambertus. Nempe lasciviam & concubinatus Clericorum acerrime insectatus, interim vero Mathildis contubernio adsuetus, probri suspicionem effugere non potuit castissimus & continentissimus Pontifex.

Ecce item Leo Ostiensis in Cassinensi Chronico lib. III. cap. 49.[a] *Mathildis Comitissa Liguriæ & Tusciæ, iram Imperatoris Henrici sibi infesti timens, Liguriam & Tusciam Provincias Gregorio Papæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissime obtulit. Hæc ergo causa inter Pontificem & Imperatorem dissensionis & odii fomitem ministravit.*

Ecce denique Otto Frisingensis Episcopus, sanctissimus & nobilissimus, qui octogesimo post anno floruit, libro I. *De Gestis Imperatoris Friderici I* cap. 7. in hunc modum refert: [b] *Romanus Pontifex Gregorius, QUI PRINCIPES ADVERSUS IMPERATOREM CONCITABAT, omnibus ut alium Regem crearent, latenter & manifeste scribebat. Igitur Rodulphus Dux Suevorum ab eis Rex factus diadema a Romana Ecclesia accepisse traditur cum hujusmodi scripto: PETRA DEDIT PETRO, PETRUS DIADEMA RODULPHO.*

Hinc

[a] *Rer. Ital. Script.* Tom. IV. pag. 465.

[b] *Rer. Ital. Script.* Tom. IV. pag. 647.

XXVI. Hinc non ſine cauſa videtur Henricus Spirenſis Epiſcopus Gregorio exprobaſſe : [a] *Omnia judicia & decreta per fœminas in Sede Apoſtolica actitari, denique per fœminas totum orbem Eccleſiæ adminiſtrari.* Quo ſpectat etiam vetus illa Leodienſis Cleri expoſtulatio : [b] *Si utriuſque Legis Bibliothecam, ſi omnes totius Bibliothecæ expoſitores veteres revolvam, exemplum hujus Apoſtolici præcepti numquam inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum Sacris Canonibus impoſuit : quem legimus præcepiſſe Mathildi Comitiſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem.*

XXVII. Henricus igitur Gregorii legatione & citatione, quaſi ſua & Imperii maieſtate prorſus indigna vehementer commotus, Pontificique ob eam cauſam infenſiſſimus, anno MLXXVI congregato Wormatiæ plurimorum Epiſcoporum & Abbatum concilio, multaque ibi (ut Friſingenſis memorat) de injuriis ſibi a Gregorio illatis forti & acerba oratione conqueſtus; eum de communi omnium adſenſu Papatu privavit, ſingulosque præterea conceptis verbis jurare coegit, numquam ſe deinceps Gregorium pro Pontifice habituros. Cujus privationis talem formulam ex antiquis monumentis refert Panvinius: *Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis eſt initiatus, & Eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem*

a UDALRICI Codex pag. 173. b Ibid. pag. 253.

nem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per converſationem tuam multiplici infamia dehoneſtaſti: obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cetero ullam ſervaturos eſſe renuntiamus: & quia nemo noſtrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit Epiſcopus, tu quoque nulli noſtrum amodo eris Apoſtolicus. Huic autem decreto non ſolum Germaniæ & Galliæ Epiſcopi bene multi, ſed etiam plerique ex Italia conventu Papiæ Imperatoris juſſu habito, ſubſcripſere: quod in vita Gregorii VII cum aliis memoriæ prodit Paulus Bernriedenſis Auguſtinianus, Gregorio ipſi proximus, & a Gretzero Panvinio ſubnexus.

XXVIII. Neque minus interim contumelioſæ, aut minus aculeatæ fuerunt (cetera interim elegantiſſimæ) binæ Cæſaris litteræ ad Pontificem datæ, quas a Brunone atque Udalrico acceptas deſcribit Goldaſtus tomo I. *Conſtitutionum Imperialium.* [a] Priorum exemplum tale erat:

Henricus Dei gratia Hildebrando. Quum hactenus ex te ea, quæ Patris ſunt, expectarem, tibique in omnibus magna fidelium noſtrorum indignatione obedirem; percepi a te viciſſitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique noſtri pernicioſiſſimus hoſtis eſſet. Nam cum in primis omnem hereditariam dignitatem, quæ mihi ab illa Sede debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes,

a BRUNO FREHERI pag. 122. ULDARICUS ECCARDI pag. 173. GOLDAST. pag. 242.

ses, longius inde progrediens Regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. Nec hoc contentus, in reverendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis, acerbissimisque contumeliis contra divina, & humana jura (ut ipsi aiunt) exagitasti. Quæ omnia quum ego quadam patientia dissimularem, tu hanc non patientiam sed ignaviam æstimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet (ut tuis verbis utar) quod aut tu morereris, aut mihi animam, regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego non verbis, sed re confutandam dijudicans, generalem conventum omnium Regni primatuum ipsis supplicantibus habui. Ubi quum ea, quæ hactenus metu & reverentia tacebantur, in medium deducta fuissent; veris adsertionibus illorum, quas ex ipsorum litteris audies, palam factum est, te nullatenus in Apostolica Sede posse persistere. Quorum sententiæ quod justa & probabilis coram Deo hominibusque videbatur, ego quoque adsentiens, omne tibi Papatus jus, quod habere visus es, abrenuntio, atque ut a sede Urbis, cujus mihi Patritiatus Deo tribuente, & jurato Romanorum adsensu debetur, descendas edico.

XXIX. Aliæ litteræ sic se habebant:

Henricus non usurpatione, sed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando jam non Apostoli-

co,

co, sed falso Monacho. Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem præteristi, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca & egregia loquamur, Rectores Sanctæ Ecclesiæ, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, & Presbyteros, non modo non tangere sicut Christos Domini timuisti; quin sicut servos nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti, in quorum conculcatione tibi favorem ex ore vulgi comparasti: quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse judicasti, qua utique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti. Ut jure B. Gregorium (cujus nomen tibi vindicasti) de te prophetasse credamus sic dicentem: Ex affluentia subjectorum plerumque animus Prælati extollitur, & æstimat se plus omnibus nosse, quum se videt plus omnibus posse.

Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ Sedis honorem servare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timorem fore intellexisti, ideoque & in ipsam regiam potestatem nobis a Deo concessam exurgere non timuisti, quam te nobis auferre ausus es minari. Quasi nos a te regnum acceperimus, quasi in tua, & non in Dei manu sit Regnum vel Imperium: qui Dominus noster Jesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad Sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti: scilicet astutia (quod

Mo-

*Monachica professio abominatur) pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & de sede pacis pacem turbasti: dum subditos in Prælatos armasti: dum Episcopos nostros a Deo vocatos tu non vocatus spernendos docuisti: * dum Laicis ministerium eorum super Sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel condemnent, qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum Episcoporum docendos acceperant. * Me quoque, qui licet indignus, inter Christos ad Regnum sum unctus, tetigisti, quem Sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine nisi a fide (quod absit) exorbitaverimus, deponendum asseruit. Quum etiam Julianum Apostatam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo judicandum deponendumque commiserit. Ipse verus Papa B. Petrus clamat:* Deum timete, Regem honorificate. *Tu autem quod Deum non times, me constitutum ejus inhonoras. Unde B. Paulus, ubi Angelo de Cœlo si prædicaverit alia, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim:* Si quis vel ego, vel etiam Angelus de Cœlo, præter id quod evangelizavimus vobis, evangelizaverit, anathema sit. *Tu ergo hoc anathemate & omnium Episcoporum judicio & nostro damnatus descende: vindicatam Sedem Apostolicam relinque: alius in solium B. Petri ascendat, qui nullam violentiam religione palliet, sed B. Petri sanam*

Locus in omnibus editionibus obscurus, & fortasse mendosus.

doctrinam doceat. Ego Henricus Dei gratia, cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus: Descende, Descende.

XXX. Profecto quod absentem & inauditum Pontificem Maximum in hostili Conventu de gradu dejecerit dejiciendumque ab Episcopis curarit Henricus: facinus illud fuit, in quo ille non alios sibi consentientes invenire potuit, nisi vel quos metus ad subscribendum coegerat, vel quos de simonia aliisque Ecclesiasticis criminibus notatos anathemate & depositione multarat, sibique ideo infensos reddiderat Gregorius. Illud vero multo adhuc periculosius multoque peioris exempli: quod quadiennio post, hoc est, anno MLXXX, duo contra Gregorium Concilia in Germania celebrari jussit Henricus, Moguntinum XIX & Brixinense XXX Episcoporum: ubi exauctorato rursus Gregorio, in ejus locum Guibertum quendam Ravennatensem Archiepiscopum subrogarunt, qui Clementis nomen adsumpsit. Interim quæ Henricus objectat de rapta sibi a Gregorio hereditaria dignitate, de Italiæ Regno male alienato, de Episcopis acerbissime & contumeliosissime habitis: ea nos vera esse dubitare haud sinit cum dicentis maiestas, tum Scriptorum ejus ætatis auctoritas. Nam Gregorius & ante adeptum Pontificatum, & in ipso statim Pontificatus ingressu, quanta maxima potuerat contentione, adnisus erat Imperatorem spoliare auctoritate creandi Romanum Pontificem, investiendique ceteros Episcopos. Ita-

liæ quoque magnam partem, fretus Mathildis Comitissæ & Nortmannorum viribus, vel ad defectionem incitarat, vel invito Cæsare Romani patrimonii fecerat. Episcopos denique, ut quemque Cæsari deditissimum & familiarissimum videbat, diris devoverat, omnique honore privarat; subditis ipsorum atque Imperatori ipsi sub anathematis pœna præcipiens, ne eos vel colloquio, vel mensa, vel aliquo obedientiæ & venerationis signo dignarentur.

XXXI. Adprobarat quidem Henricus electionem Gregorii se inconsulto factam. Sed videns nunc Synodali Gregorii Decreto superiori anno MLXXV in Lateranensi Synodo edito, ab investitura sive designatione omnium Episcoporum, adeoque ipsorum etiam Pontificum Romanorum, se successoresque suos omnes in perpetuum prohiberi, [a] contra ac in plenaria altera Romana Synodo paucis ante annis solemni Decreto statuisset Nicolaus II: (& quidem Gregorio ipso tum Diacono suffragante) Recordatus præterea, Gregorium ipsum nondum Pontificem factum Romanis Clericis Auctorem extitisse, ut nulla spectata, nulla petita Cæsaris adprobatione, Alexandrum Papam II non solum eligerent, sed etiam consecrarent: jure nunc de Gregorio querebatur Cæsar, jure adversus eum vociferabatur, eripi sibi ab eo hereditariam dignitatem.

XXXII. Gregorius ubi ea, quæ in Worma-

E ii ti-

[a] MURAT. *Annali d' Italia* Tom. VI. pag. 193. & 241.

tiensi Conventu adversus se gesta erant ex Legatis & litteris Imperatoris intellexit; convocata in Lateranensem Basilicam frequentissima Synodo, multaque ibi cum de Henrici impietate & contumacia, tum de suamet innocentia protestatus, talem in eum sententiam tulit, qualem Saxonici Belli Scriptor Bruno commemorat in hunc modum: [a]

B. Petre Apostolorum Princeps inclina quæso pias aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi, & usque ad hanc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt & odiunt. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & B. Paulus Frater tuus inter omnes Sanctos, quod tua S. Romana Ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, & ego non rapinam arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam finire in peregrinatione, quam locum tuum pro gloria mundi, pro sæculari ingenio arripere.

Et ideo ex tua gratia, non ex meis operibus credo, quod placuit tibi, & placet, ut populus Christianus tibi specialiter commissus, mihi obediat specialiter pro vice tua mihi commissa, & mihi tua gratia est potestas a Deo data ligandi & solvendi in Cælo & in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesiæ tuæ honore & defensione, ex parte omnipotentis Dei, Pa-

[a] BRUNO: FREHERI pag. 124.

Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, per tuam potestatem & auctoritatem, Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos a vinculo juramenti quod sibi fecerunt, vel facient absolvo, & ut nullus ei sicut Regi serviat interdico. Et quod sicut Christianus contempsit obedire, participando cum excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaque monita spernendo, seque ab Ecclesia tua separando; vinculo eum anathematis vice tua alligo, & sic eum ex fiducia tua alligo, ut sciant gentes & comprobent, quod tu es Petrus, & super tuam petram Filius Dei vivi ædificavit Ecclesiam suam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

XXXIII. In hac damnationis sententia directam potestatem deponendorum Regum (cujus hodie tamen pudet Romanos Theologos) sibi adrogare Gregorium Papam VII nemo non videt. Nam excommunicationi depositionem præmittit. Sed & illud in hac sententia æque omnibus patet: judicio Gregorii idem omnino esse contra Romanum Pontificem insurgere, ac *contra Dei Ecclesiam insurgere.* Quod verbum ita avide adripuere postea plerique Gregorii successores, ut siqui quacumque de causa etiam temporali, etiam politica, repugnaverit Romano Pontifici cuivis; is statim Ecclesiæ rebellis, statim Ecclesiæ hostis ju-

judicetur & traducatur : ut de Ecclesia esse non reputentur a Romanis, nisi qui ipsis ipsorumque rebus & amicis per omnia faveant. Neque illud prætermittendum, inter excommunicationis causas illam designari præcipuam, quod cum excommunicatis communicasset Imperator: nempe quod communicasset cum familiaribus & sibi fidissimis, quos licet indignos, licet pessimos, dum in consortium & familiaritatem admittebat Cæsar, suo quidem jure admittebat, utpote qui eorum legitimus Princeps esset ac Dominus.

Si fidem habemus Bennoni Cardinali, qui eo tempore vixit, & cujus Libellum *de Vita Hildebrandi* publicavit Reineccius: [a] sententiæ adversus Cæsarem latæ nullus Cardinalium subscripsit. Qui & hoc addit : *Ut primum ad excommunicandum Cæsarem de Sede surrexit, Sedes ipsa noviter lignis fortissimis composita, subito Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes.* Fides sit penes auctorem.

De eadem sententia eodem ævo scribebat anonymus ab eodem Reineccio editus: [b] *Factum multis displicuit, (sicui displicere licet, quod Apostolicus fecit) & asserebant tam inefficaciter quam illicite factum, quod factum est.* Certe a nonnullis, qui aderant, admonitum Gregorium, *non tam cito excommunicandum Imperatorem*, ultro fatetur Bartholomæus Platina in vita Gregorii VII. Sic

a REINECC. pag. 41. Francof. 1581.

b Ibid. pag. 12.

XXXIV. Sic exauctorato Cæsare, Imperioque a Sacerdotio sæve dissidente, incredibile dictu est, quanta mala temporibus illis Rempublicam Christianam adflixerint. Cæsarem quidem plerique ex Germania, Gallia, & Italia Episcopi sequebantur. Sed Gregorio præter Romanos, Imperii Principes bene multi, & cum his Saxones ac Thuringi adhærebant. Itaque scisso in contraria studia populo Christiano, mutuisque odiis Imperatore Pontificem, Pontifice Imperatorem persequente: omnia tumultu, cuncta terrore & luctu complentur. Bella, cædes, incendia fiunt. Qui vel Regi fidem servabant, vel neutri parti favebant, adeoque pacem & otium bello præferebant; Simoniaci, Nicolaitæ, Hæretici, Schismatici adpellantur, proscribuntur, in sceleratorum numero habentur; aris, sacris, convivio, colloquio, supplicationibus, conspectu a conjuratis arcentur. Qui Pontificiarum partium erant, a Cæsarianis infidi, rebelles, perjuri, fœdifragi vocitantur, vitantur, odio habentur. Sacerdotes, Monachi, Episcopi, fratres, amici, cognati, adfines, liberi, parentes, miles, tribunus, herus, famulus, pueri, puellæ, conjuges, populus, Principes inter se discordant, dissentiunt, publice privatimque altercantur, rixantur, pugnant: invicem mutuis vulneribus, cæde, parricidio, incendiis, rapina conflictantur: agri vastantur, fana spoliantur, ærarium diripitur, fiscus exinanitur, villæ incenduntur, ædes cremantur:

tur: urbes, castella vi expugnantur, leges silent, arma fervent, omne jus in viribus est. Quidquid victori collibuisset, victus patitur: virgines rapiuntur, liberi a complexu parentum avelluntur, matresfamilias vi construprantur: terra, flumina, humano cruore rubescunt. *TANTUM RELIGIO* (ut cum Poeta loquar) *POTUIT SUADERE MALORUM.* Nempe ut scribit Willelmus Malmesburiensis Lib. III. *de Gestis Regum Anglorum*, [a] cum Henricus *neque ignavus esset*, *neque ineruditus*, *fato quodam ab omnibus ita impetebatur*, *ut rem religionis tractare sibi videretur*, *quisquis in illum arma produceret.*

XXXV. Nam Saxones, ac Thuringi, quibus non minus invisa quam formidolosa erat Cæsaris potentia, a Cæsare sæpius rebellant. His sese deinde adjungunt Rodulphus Suevorum & Burgundorum Dux, Hugo Alsatius, Bertholdus Dux Carinthiæ, Welpho Dux Bavariæ, multique alii Principes & Episcopi. Omnes communi consilio de novo designando Rege deliberant: Romanum Pontificem in suas partes trahunt: apud eum criminibus & maledictis Cæsarem onerant. Qua vero id fide præstiterint, audi candidissimum ejus ævi Scriptorem de Vita Henrici IV. [b] *Videntes Regem bellis tangi posse, non dejici: vexari, non superari: ut vires ejus extenuarent, confictis conscriptisque super eo criminibus, quæ pes-*

[a] MALMESBUR. pag. 105. [b] REINEC. pag. 12. Francof. 1601.

pessima & immundissima potuit odium & livor excogitare, vera falsis miscentes, apud Romanum Pontificem Gregorium VII eum deferebant. Non decere tam flagitiosum, plus notum crimine quam nomine regnare: maxime cum sibi regiam dignitatem Roma non contulerit. Oportere Romæ suum jus in constituendis regibus reddi. Providerent Apostolicus & Roma ex consilio Principum, cujus vita & sapientia tanto congrueret honori. Qua subreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi Regis quem sibi fallaciter obtulerant impulsus, Regem banno innodavit, & Episcopis aliisque Regni Principibus, ut a communione excommunicati Regis se retraherent, denunciavit.

Hic sane locum habet, quod ad annum MLXXVI tradit Sigibertus in Chronographia, & ex Sigiberto Albericus Cisterciensis Monachus sæculi XIII in Chronico a Leibnitio publicato: [a] *Gregorius Papa, totus in Henricum Imperatorem invehitur, & quoscumque potest, ab eo verbis & scriptis avertit: animum etiam Agnetis matris ipsius ab eo alienat.*

XXXVI. Inter hæc Henricus vel religione motus, vel rebus suis consulturus; (cognorat enim Germanis Principibus esse propositum, novum Imperatorem creare, nisi ipse intra annum excommunicatione a Pontifice solveretur) sub finem Januarii anno MLXXVII, rigidissimo anni

F tem-

[a] SIGIB. PISTOR. pag. 602. ALBER. LEIBNIT. pag. 120.

tempore, ſuperatis Alpibus in Italiam venit, & a Papa, qui metu adventantis Cæſaris Canuſium in munitiſſimam arcem ſe receperat cum Mathilde arcis Domina, ſupplex per legatos abſolutionem petiit.

Diu Papa reſtitit, veritus in Rege juvenilis animi inconſtantiam, & proclive quocumque adſentatores impuliſſent ingenium. Sed ſuperatus tandem importunitate perurgentium & ſententiarum gravitate: [a] *Si veraciter*, inquit, *eum facti pœnitet, coronam & cetera Regni inſignia in argumentum veræ & ex animo actæ pœnitudinis noſtræ poteſtati dedat, & ſe poſt tam contumax admiſſum, regio nomine & honore deincepes indignum profiteatur.* Durum nimis hoc viſum legatis. Cumque vehementer inſiſterent, ut ſententiam temperaret; vix & ægre tandem exoratus adnuit, ut cominus veniret, & ſi veram pro admiſſis pœnitudinem gereret, culpam quam Sedi Apoſtolicæ contumeliam irrogando contraxerat, Sedis Apoſtolicæ Decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille, ut juſſum fuerat, & cum caſtellum illud triplici muro ſeptum eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu, depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtentans pompaticum, laneis indutus, nudis pedibus gelu calcans, jejunus de mane uſque ad veſperam perſtabat, Roma-

a LAMBERTUS ex editione PISTOR. pag. 248. Annaliſta Saxo ex editione ECCARDI Tom. I. pag. 537.

mani Pontificis ſententiam præſtolando. Hoc ſecundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conſpectum ejus admiſſus poſt multas hinc inde dictas ſententias, his poſtremo conditionibus excommunicatione abſolutus eſt: ut die & loco quemcumque deſignaſſet Papa, evocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus præſto eſſet, & accuſationibus quæ intenderentur, reſponderet, Papa ipſo, ſi ita expedire videretur, cognitore adſidente: & ad ejus ſententiam vel retineret regnum, ſi objecta purgaſſet; vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus regio deinde honore indignus juxta Eccleſiaſticas Leges decerneretur, nullam ſive retento ſive amiſſo regno hujus injuriæ vindictam a quopiam hominum in perpetuum exacturus: uſque ad eam autem diem, qua cauſa ejus legitime diſcuſſa terminaretur, nulla regii cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi adhiberet; nihil circa rerum publicarum adminiſtrationem juxta conſuetudinem ſuo jure ageret; nihil quod ratum eſſe oporteat decerneret: poſtremo præter regalium ſervitiorum exactionem, quibus neceſſario ipſe & ſui ſuſtentandi eſſent, nihil regium, nihil publicum uſurparet: omnes etiam qui ei ſub jurejurando fidem dixiſſent, ab hujus ſacramenti vinculo, & conſervandæ erga eum fidei debito, apud Deum & apud homines interim liberi expeditique eſſent: Rutbertum Bambergenſem Epiſcopum & Udalricum, & ceteros quorum conſiliis

 ſe

se remquepublicam perdidisset, a sua in perpetuum familiaritate amoveret. Quod si purgatis quæ objicerentur, potens confortatusque in regno perstitisset; subditus Romano Pontifici semper dictoque audiens foret, & ad corrigenda quæcumque in regno ejus contra Ecclesiasticas Leges prava consuetudine inolevissent, consentiens ei & pro virili portione cooperator existeret.

His conditionibus ubi se stare dixit Imperator, altari admotum, convivioque una cum Mathilde exceptum, cum bona pace dimisit Gregorius.

XXXVII. Hæc nos e Lamberto Schafnaburgensi ejus ævi Historico candidissimo & elegantissimo, eodemque Gregorii acerrimo defensore, exscripsimus fere ad verbum.

Non simulatam vero Henrici pœnitentiam prorsus fuisse, & Albertus Stadensis observat in Chronico, & Bruno Saxo facto confirmat. Narrat enim ad suos reversum communicare cum illis noluisse, quorum consortium, & familiaritatem promiserat devitare. Contrà Gregorium non prorsus ex animo cum Cæsare in gratiam rediisse, responsum ejus ad Saxones demonstrat, quod supra ex Auctore Apologiæ Henricianæ commemoravimus. Querentibus enim quod Cæsarem absolvisset: *Nolite*, inquit, *de eo esse sollíciti*: *ego enim vobis illum culpabiliorem reddo*. Quasi nimirum absolvisset, ut brevi religaret. Unde Sigibertus in Chronographia ad annum MLXXVII. *Ipse*

Pa-

Papa occurrens in Lombardia sub falsa pace eum absolvit. Quod e Sigiberto postea mutuatus est Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali.* [a]

XXXVIII. Sed ubi Italiæ Episcopi cognovere, quibus conditionibus absolvi se a Pontifice passus sit Imperator: indignum facinus execrati fremere, indignari, Pontificem superbum & ferrei pectoris adpellare, Cæsarem ignaviæ arguere, indignum Imperio conviciari: ita ut seditione facta parum abfuerit, quin alium sibi Regem, alium Pontificem crearent.

Indignum scilicet Imperii maiestate merito judicabant, quod maximus omnium Princeps, regiis insignibus abjectis, cultuque minor quam privatus quilibet, sic se Romani Pontificis imperio & libidini subdidisset; ut per triduum ludibrio habitus, & intra muros quasi hostis conclusus, demum a subditis accusari & judicari se, & quidem interposita fide, passus fuerit. Indignum pariter Apostolica modestia & mansuetudine, quod Cæsarem nudis pedibus ad se venientem, cultuque omni & pompa deposita supplicem, non nisi quarto die conspectu suo dignatus sit Pontifex: neque eum ante in Christianorum cœtum impertita absolutione admiserit, quàm sancte jurasset, non futurum se Regem, idque æquo animo se laturum, si se Regem Pontifex nollet. Noluisse autem illud argumento fuit, quod statim ab Henri-

a SIGIB. PISTOR. pag. 603. VINCENT. Tom. IV. pag. 1020.

rici absolutione, agere per Legatos cum Germanis Principibus cœpit Gregorius de alio Rege creando: cujus rei cum aliis testes sunt Bruno Saxonicus & Otto Frisingensis.

Heic certe locum habet, quod Gregorium vocat Willelmus Malmesburiensis, [a] *Virum apud Deum felicis gratiæ, apud homines austeritatis fortassis nimiæ.* Et quod Libro XIX Historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. scribit Ptolemæus Lucensis: [b] *In eo facto Gregorius multum rigidus invenitur.* Hinc etiam *præceptor impossibilium* Gregorius audit ab anonymo Scriptore Historiæ Pontificiæ, quem a Petzio habemus. [c]

XXXIX. In his angustiis constitutus, ubi vel fœdus cum Gregorio percussum abrumpendum erat, vel amittendi regni discrimen subeundum, quid Henricus faceret? nempe quod hodie facturus proculdubio esset Imperator, vel Rex Galliæ, vel Hispaniæ, vel Lusitaniæ, vel Siciliæ, vel Sardiniæ, vel quilibet alius Catholicorum Principum. Ratus itaque non alia ratione datam sibi a Deo maiestatem & acceptum a Maioribus hereditario jure Regnum conservare se posse, nisi abrupta cum Gregorio pace, cujus conditiones jam iniquissimas & turpissimas, adeoque nullas esse intelligebat: Udalricum ceterosque Consiliarios, quos a suo contubernio amoverat Pontifex, in

a MALMESBUR. pag. 108.
b LUCENS. *Rer. Italic. Script.* Tom. XI. pag. 1076.
c PETZ. Tom. I. Part. III. pag. 385.

in pristinum gratiæ & familiaritatis gradum revocavit, & cum eis de privatis & publicis negotiis, ea qua consueverat singularitate & benevolentia, tractare cœpit. Quibus auditis paulatim quoque Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studia denuo in eum incalescere cœperunt; ita ut frequentior in dies ad Cæsarem multitudo confluerit, sumptus exercitui copiosiores ministrarent, & ad omnia quæ jussisset, promptissime jam manus operamque suam pollicerentur cum Episcopi, tum Laici.

XL. Contra Gregorius cum comperisset, Henricum nulla promissorum ratione habita, novos in se spiritus resumpsisse; (quasi salva Imperii maiestate, cujus Henricus ipse non dominus, sed Depositarius erat, stare ejus generis pactis ullo modo liceret) missis jam ante in Germaniam ducbus Legatis, Bernardo Cardinale Diacono & Bernardo Abbate Massiliensi, qui de novo Imperatore eligendo cum Imperii Proceribus agerent; coactaque deinde Romæ plurimorum Episcoporum, Abbatum, minorum Clericorum, & Laicorum Synodo, cui & oratores novi Cæsaris Rodulphi interfuere: anno MLXXX Henricum ipsum absentem & inauditum (quod Urspergensis Abbas in Chronico recte observavit) ex fide ac testimoniis inimicorum ejus iterum excommunicavit, iterumque Regno privavit sub hac formula:

Confisus de judicio & misericordia Dei, ejus-

ejusque piissimæ Matris semper Virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate [a] (Petrum & Paulum adloquitur) *prædictum Henricum, quem dicunt Regem, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio, & anathematis vinculo alligo; & iterum Regnum Teutonicorum & Italiæ ex parte Omnipotentis Dei & vestræ interdicens ei, omnem dignitatem & potestatem regiam illi tollo, & ut nullus ei Christianus sicut Regi obediat, interdico, omnesque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione, a juramenti promissione absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamque in vita sua victoriam obtineat.* In qua depositionis sententia quis non miretur, Henricum a Gregorio non solum regno & subditorum obedientia privari, sed etiam ne in bello adversus hostes superior umquam aut victor evadat, prohiberi? quasi in Romani Pontificis potestate fuerit militares copias regere, aut victorias moderari. Quod tamen cum ante Gregorium VII ausus esset nemo, Gregorii exemplo animatus, in Fridericum Imperatorem postea adhibuit Alexander Papa III in Concilio Lateranensi III.

XLI. Neque dicat aliquis, imprecationes has fuisse potius, quam sententias. Nam ejusdem Gregorii VII cum ad Germaniam pro componenda pa-

a Extat apud PAULUM BERNRIEDENSEM ex editione GRETZERI Tom. VI. pag. 158.

pace Legatos misisset, Apostolicas Litteras descripsit Platina, in quibus hæc scripta a Gregorio inveniebantur: [a] *Quicumque autem temeritate ductus, quod non optamus, hujusce nostræ constitutionis violator extiterit, eum anathematis vinculo alligamus: & non solum in spiritu, verum etiam in corpore, atque in omnibus fortunæ bonis Apostolica auctoritate colligamus, victoriamque in armis partam ei auferimus, ut saltem confundatur & duplici pœnitentia convertatur.* Quæ non imprecantis more, sed sententiam ferentis ritu pronunciata quis neget!

XLII. Qua ratione se difficillimis illis ac periculosissimis temporibus gesserit populus Christianus, ex iis quæ supra diximus, facile intelligi potest. Nempe ut quisque in Pontificem vel Imperatorem erat adfectus, alius Pontificiæ, alius Imperatoriæ factioni studebat. Non pauciores tamen Henricum quam Gregorium sequebantur. Imo ex Episcoporum classe, quorum semper auctoritas & exemplum potissime adtendenda sunt, multo plures Henrico quam Gregorio adhæsere. Et ex illis ipsis qui Pontificias partes tuebantur, multi (ut ex epistulis ipsis Gregorii planissime constat) de ejus auctoritate ad privandum Regno Cæsarem diu multumque dubitarunt: multi sic Pontifici parebant, ut interim ea Henrico non denegarent, quæ ad regiam auctoritatem & venerationem pertinebant.

[a] PLATINA pag. 152. Coloniæ 1562.

XLIII. Certe apud Canisium Vitæ S. Gebhardi Salisburgensis Archiepiscopi [a] vetus auctor adfirmat, in omni Germania, qui per omnia Gregorio adhærerent, quinque omnino inventos esse Episcopos. Cui consentit Albertus Stadensis Abbas in Chronico, ubi ait: [b] *Omnes qui circa Rhenum erant, omnesque Francorum populos ab Henrico stetisse, eo quod juramenta temerare noluissent.* Consentit & Paulus Langius in Chronico Citizensi, ubi hæc leguntur: [c] *Fuerunt itaque cum Rege omnes Franci, Baioarii, Lotharingi & Bohemi: quin & omnes Wesphali & circa Mysnam habitantes, & omnes Episcopi præter quatuor.* Quod uterque sane e Brunone desumpsit.

De ipsis Saxonibus, quorum studium & fides erga Pontificem tempestate illa maxime celebrabatur, insignis locus extat apud ipsorum *Annalistam*, (sic enim vulgo inscribitur) quem Eccardus in *Corpore Historico medii ævi* publicavit. [d] Sic autem habet: *Qui se antea pro solo Apostolicæ Sedis patrocinio Henrico adversarios affirmaverant, nunc Henrico per crebras legationes non solum communicant, verum etiam Imperatorem appellant.* Et mox: *Conspirans omnis fere Saxonia tanto excommunicatum reposcit*

[a] CANIS. Tom. V. pag. 1254.

[b] STADENSIS ex nova editione Argentoratensi, 1685. pag. 246.

[c] LANGIUS ex editione PISTORII pag. 776.

[d] ECCARD. Tom. I. pag. 566.

ſcit affectu , quanto prius nondum excommunicatum repulit impetu.

Neque de Bavaris omittendum illud, quod in Vita S. Erminoldi Abbatis Pruſeningenſis legitur apud Baronium anno MCXXI. *Henricus aliquando Imperator , cum propter exceſſus ſuos in Papalis excommunicationis ſententiam incidiſſet* , ET TAMEN A RELIGIOSIS AC MAGNIS PRÆLATIS ECCLESIÆ , IMPERATORIÆ DIGNITATIS INTUITU , HONOR SIBI AC SOLITA REVERENTIA DEFERRETUR , *&c.*

XLIV. Jam de Italia Lambertum Schafnaburgenſem audiamus : [a] *Poſtquam per Italiam fama percrebuit veniſſe Regem, & ſuperatis aſperrimis rupibus jam intra Italiæ fines conſiſtere : certatim ad eum omnes Italiæ Epiſcopi & Comites confluebant , eumque ut Regia magnificentia dignum erat, ſummo cum honore ſuſcipiebant.*

Eodem ſpectat, quod in antiquiſſimo in ipſa Italia Farfenſis Monaſterii Chronico legimus : [b] *Anno* MLXXXII *Domnus Henricus glorioſus Rex a Deoque coronatus piiſſimus Auguſtus Imperator , ad hoc Farfenſe veniens Monaſterium* A CUNTIS FRATRIBUS NOBILISSIME VALDEQUE HONORIFICE SUSCEPTUS EST, *qui antea ab omnibus fuerat deſideratus.* Nemo neſcit Farfenſes Monachos eſſe Benedictinos.

a LAMBERTUS PISTORII pag. 247.

b *Rer. Italic. Script.* Tom. II. pag. 604.

Ex eodem Ordine eodemque ſæculo, mortuo jam Gregorio Henrici cauſam egregie tutati ſunt Sigibertus Gemblacenſis in Chronographia, & Hugo Floriacenſis in Libro *de Regali poteſtate & Sacerdotali dignitate*, de quo adeundus Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum MCX.

His addendus Leodienſis Clerus, cujus nobilem epiſtulam pro Henrico adverſus Paſchalem Papam II aliis jam in locis commemoravimus, & cujus fidem ac religionem a Baronii cenſuris egregie vindicavit Illuſtriſſimus Boſſuetus, quem vide ſis libro III, cap. 8.

XLV. Tot autem Populos, tot Epiſcopos, tot Optimates, tot Monachos, tot utriuſque ſexus cives, ſchiſmaticos extitiſſe, ſchiſmaticisque adnumerandos quis dicat? præſertim cum eorum plurimos eximiæ ſanctitatis laude ac fama & tunc & apud poſteros inclaruiſſe, probatæ illorum temporum Hiſtoriæ memorent. Quos inter proculdubio excellunt S. Otto, ejuſdem Imperatoris primum Chancellarius, deinde ab eodem excommunicato Bambergenſis Epiſcopus deſignatus, cujus vitam Annalibus quoque ſuis intexuit Baronius anno MCII & ſequentibus: necnon Sanctus Bruno Archiepiſcopus Trevirenſis ab eodem Imperatore electus, ejusque juſſu conſecratus Moguntiæ ab Adalberone Metenſi, Joanne Spirenſi, & Richerio Virdunenſi, conſecrationem præſentia ſua adprobantibus quoque Ruthardo Archi-

chiepiſcopo Moguntinenſi & Friderico Colonienſi. Sanctus Bruno, inquam, cujus inſignem in Deum pietatem effuſamque in pauperes liberalitatem cum illuſtribus encomiis celebraſſet antiquus Scriptor Hiſtoriæ Trevirenſis apud Dacherium in *Spicilegio Veterum Monumentorum*; de eodem illud in ſequentibus adnotavit, quod argumentum noſtrum mirifice illuſtrat: [a] *Tanta cum ſolertia ac ſapientia ab ipſo acta res eſt, ut cum in diebus illis de contradictione Epiſcoporum inter Sacerdotium & Imperium ageretur, ITA CATHOLICORUM AMPLEXUS SIT CONSORTIUM, UT IMPERATORI DEBITUM NON DENEGARET OBSEQUIUM.*

Denique S. Benno Epiſcopus Oſnaburgenſis, qui ut in ejus vita apud Eccardum narrat ejuſdem ætatis Scriptor Norbertus Abbas Iburgenſis, cap. XXII. [b] *Videns in utraque parte plurima magis odio quàm ratione tractari, & Regi ſemper fidus, numquam autem Papæ inobediens eſſe deſiderans; præclara felicique proſperitate vel animi prudentia, utriuſque Papæ (quod profecto perpaucis ea tempeſtate poſſibile fuit) amicitia uſus, Regiam quoque nuſquam incurrebat offenſam.* Itaque & Henrico obtemperans Benno in Papienſem Synodum, ubi Gregorio ſubrogatus eſt Guibertus, cum ceteris conve-

a *Spicileg.* Tom. II. pag. 221. novæ editionis Pariſienſis 1723.

b Vita BENNON. apud ECCARD. Tom. II. pag. 2178. & 2183.

venit; & eundem Henricum in Italiam adversus Gregorium cum exercitu proficiscentem commitatus est, ibique *anno integro, & tribus mensibus in Romanæ Civitatis obsidione detentus.*

Piis hisce sanctisque Episcopis Werinherum Magdeburgensem & Werinerum Merseburgensem adnumerare non dubitabit, quisquis apud utrumque Saxoniæ Scriptorem Freheranum & Eccardianum legerit, in Henrici excommunicati fide atque obedientia perstitisse duos illos Saxoniæ Episcopos, [a] *eo quod in illo, licet impio, Deum a quo est omnis potestas, offendere timebant.*

XLVI. Quæ cum ita sint, nullus ego credere dubitarim, illorum etiam qui Moguntiæ & Papiæ Imperatoris jussu congregati Guibertum Gregorio substituerunt, multis vel in pessimo facto bonam fidem non defuisse. Aderant ex Germania & Italia Episcopi plurimi, atque in his S. Benno Osnaburgensis, qui licet decretæ in Gregorium depositionis sententiæ interesse noluerit; (nam ut tradit in ejus vita Norbertus Iburgensis, quo tempore in Synodo tractabatur odiosissima illa & tam periculi quam scandali plena quæstio, sub Altaris angulo de industria sese occultavit) tamen eodem Norberto teste, ubi Ravennatem Archiepiscopum agnovit in locum Gregorii Pontificem designatum, *egressus latibulo, ubi prius sederat subito residere conspicitur*, & Guiberto deinceps non dubitat adhærere. Alios au-

a FREHERI pag. 133. ECCARDI Tom. I. pag. 535.

autem in errorem forte induxit illa ratio, quam in Responsione ad Angelum Fonteium nuper dedit laudatissimus e Benedictino Ordine Scriptor Bernardus Petzius his verbis: *Cum Gregorius VII a suis Theologis persuasus, omnium primus Romanorum Imperatorem Henricum IV de throno dejicere ausus esset: collisis gravissima procella Episcopis, quæstio agitata est, idne ex Dei lege Sanctorumque Patrum doctrina Papæ liceret, nec ne? Adfirmabant alii, alii negabant, asserebantque priorum opinionem hæresim redolere, eamque ob rem sua Sede Gregorium excidisse.* Certe Egilbertus Archiepiscopus Trevirensis in ea epistula, quam cum aliis monumentis ad hanc controversiam pertinentibus nobis conservavit ejusdem ætatis Collector Udalricus Babenbergensis, aperte in ipso exordio profitetur: [a] *Ferre sententiam contra Apostolicum non esse tutum, imo insanum esse & omnino nefarium: sed cum Gregorius inauditis novitatibus studeat, magnum Sanctæ Matris Ecclesiæ periculum esse non insurgere contra illum.* Eâdem ratione Didericus Virdunensis; eâdem Henricus Spirensis Episcopus protestatur moveri se, ut in Gregorii depositionem consentiat. Hinc Gobelinus Persona in suo Comosdromio, Parte VI. [b] *Episcopi omnes Hildebrandum judicabant tam-*

quam

a Codex UDALRICI ex editione ECCARDI Tom. II. pag. 170.

b PERSONA ex editione MEIBOMII pag. 216 Francof. 1599.

quam hæreticum depellendum. Nam per hæresim a Papatu excidere Romanum Pontificem, atque eo in casu *licere vel inferioribus contra Superiores insurgere*, & in Actis Octavæ Synodi Generalis professus fuerat Hadrianus I, & ex Bonifacio Moguntino postea docuit Gratianus in Cap. *Si Papa.*

XLVII. Nolim ego decreta in Gregorium sive Moguntini sive Papiensis Conventûs excusare, nedum probare. Scio enim soli Generali Concilio totius Ecclesiæ subjacere Romanum Antistitem. Scio vel in ipsis Conciliis Generalibus non debere Romani Pontificis causam hostiliter & tumultuarie agitari. Scio raro contigisse Pontifice uno amoto alium subrogari, quin statim Rempublicam Christianam maxime inde ortæ calamitates adflixerint. Tamen si Romanus Pontifex officii sui oblitus, & odio magis quàm ratione ductus, inauditis novitatibus publicam tranquillitatem perturbet; si Regibus & Supremis Principibus sua jura conetur adimere; si Christianos populos ad defectionem concitet; si intestinis bellis atque seditionibus fomentum impendat; si denique Catholicorum Principum discordiis delectetur: iis in casibus licere Christianis Principibus, ubi mitiora remedia non succedunt, Papam bello persequi, custodiæ mancipare, ejus depositionem procurare: Theologia illa quidem est a magno & piissimo Gersone sexcentis in locis tradita constanterque adserta, quam alii deinde ma-

gni

gni nominis Theologi ambabus (quod aiunt) ulnis sunt amplexi. *Occurrere possunt casus multi*, (verba sunt Parisiensis Chancellarii in Libello *de Unitate Ecclesiastica*, Consideratione x. [a]) *in quibus pro adeptione pacis publicæ aut justæ defensionis, sicut vim vi repellendo, liceret a rite electo in Papam subtrahere obedientiam: liceret in neutralitate manere: liceret ipsum corporaliter incarcerare: liceret prætensas sententias suas qualescumque non timere, nec timendas asserere, sed lacerare eas & in caput suum retorquere: liceret Concilium Generale eo invito celebrare: liceret tandem ad cessionem compellere, vel renitentem dejicere ab omni honore & gradu, imo & vita privare.* Quam doctrinam ille deinceps in aliis Tractatibus inculcare non destitit: ut in *Propositione facta coram Anglicis*, Consideratione IV. in Tractatu *de Auferibilitate Papæ*, Consideratione x. in Libro *de Vita Spirituali animæ*, Lectione III. & in *Regulis Moralibus*, num. CIX.

XLVIII. Interea qui erant a Gregorio (ut nulla re magis extra se rapiuntur homines, quam cum de religione certant inter se) portenta, prodigia, signaque de cœlo in Cæsarianos terribilia comminisci: sibi prospera omnia, Cæsari omnia infausta ominari: Gregorii fautores in cœlo collocare: hostibus infortunia, clades, miserias, subitas mortes, dæmonum vexationes, æternos

a GERSON Tomo II. pag. 117. edit. Dupin.

cruciatus minitari. Wilhelmum Trajectensem Episcopum, qui ut Pontificis iras nihili faceret Henrico auctor fuisset, repentino morbo correptum exclamasse, & Cæsari renuntiare jussisse: *Quod & ipse & omnes ejus iniquitatibus faventes damnati sunt in perpetuum.* Simili miseria periisse quoque Udonem Trevirensem, & Epponem Cicensem pariter Episcopum, & Godefridum Ducem, & Burchardum Mysnensem Præfectum, aliosque Principes & Antistites. Cujus generis plura apud Brunonem Saxonem & Bertholdum Constantiensem invenias.

XLIX. Verum qui hæc Cæsarianis objiciebant, dissimulabant interim, Saxones licet Gregorio dedetissimos ac devotissimos, sæpius tamen Cæsari rebelles, sæpius quoque a Cæsare feliciter prostratos & adtritos. Dissimulabant, Rodulphum Pontificis operâ Henrico subrogatum, quarto Regni anno ab ipso Henrico prælio fusum, & vulneribus confossum, semianimem hæc ad suos dixisse: *Videtis dexteram meam de vulnere sauciam? ecce hæc est manus, qua Domino meo Henrico fidem firmavi sacramento. Sed jussio Apostolica Pontificumque petitio, me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit videtis: quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo hi, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne forte deducti simus*

in

in præcipitium damnationis æternæ. (Quod nos quidem legimus non ſolum in Chronicis Alberti Stadenſis [a] & Conradi Urſpergenſis, [b] ſed etiam apud Helmoldum in *Chronico Slavorum* lib. I. cap. 30. [c] & apud Monachum Sancti Pantaleonis in *Chronica Regia* ab Eccardo publici juris facta: [d] ex quibus duo priores ſæculo XIII, tertius XII, quartus XI floruit.) Diſſimulabant anno ſequenti incendio conflagraſſe antiquiſſima & magnificentiſſima Epiſcopia, Bambergenſe & Moguntinum: in quorum priori Rex electus & conſecratus a Pontificiis fuerat Rodulphus; alterius vero Archiepiſcopus erat Sigifridus, electionis illius & conſecrationis particeps comprobatorque. Diſſimulabant ſua ſpe deluſum, & falſum vatem extitiſſe Gregorium, qui cum tamquam ſibi divinitus revelatum Saxonibus & aliis conſtantiſſime adſeveraſſet, anno illo falſum Regem moriturum; anno ipſo non Henricum, (ut putabat) ſed Rodulphum interemptum vidit. Quod a Sigiberto Gemblacenſi illorum temporum Hiſtorico graviſſimo memoriæ proditum, nihil cauſæ erat, cur tamquam a Schiſmaticis confictum rejiceret Gretzerus Jeſuita: præſertim cum in epiſtula quadam ejuſdem Gregorii ad Epiſcopum Tridentinum, quam Codici ſuo inſeruit Udalricus Babenbergenſis, num. CLII, ejus rei authenticam con-

a STADENS. pag. 247.

b URSPERGENSIS REINECT. pag. 224.

c HELMOLD. ibid. pag. 25.

d Chronica Regia ECCARDI Tom. I. pag. 908.

confirmationem habeamus. Ibi enim hæc ſcribit Gregorius : *Illud proculdubio de divina clementia ſperantes promittimus, feſtum B. Petri non prius tranſeundum, quàm in cunctorum notitia certiſſime clareat, illum juſtiſſime eſſe excommunicatum.* Diſſimulabant, poſt Rodulphi obitum Henrico ſuffectum Hermannum Lotharingum, brevi quoque ab hoſtibus cæſum perfidiæ pœnas luiſſe. Diſſimulabant in his etiam qui derelicto Cæſare ad Pontificis partes convolarant, multos extitiſſe diverſis probris & criminibus infames, multos per ambitum & ſimoniam Pontificatum adeptos & in illo conſervatos, multos eo ipſo in bello quod Cæſari movebant, fœdo exitu conſumptos: in his Magnum Ducem, Egbertum Marchionem, Hermannum Comitem, Wecilum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, Adelbertum Epiſcopum Wormatienſem. Diſſimulabant denique, Victorem Papam III a factione Gregorii in ejus locum ſubrogatum, in ipſo mox Pontificatûs initio dyſentheria vel veneno ſublatum miſerabiliter periiſſe.

Neque ex adverſo deerant, qui eodem tempore fabularentur, a Saxone Clerico viſos apud inferos Gregorium Papam, duosque Pſeudo-Imperatores Rodulphum & Hermannum, actorum pœnas luere: quemadmodum in Auguſtenſi Chronico legimus, [a] unde illud deſumpſit Aventinus. Contra Guiberti Antipapæ ſepulchrum plurimis illu-

[a] Chron. Aug. ex editione FREHERI pag. 355.

illuſtriſſimisque miraculis coruſcaſſe ejus fautores gloriabantur: id quod ex Udalrici Babenbergenſis codice diſcere lectores poſſunt, Num. CLXXIII. [a]

L. Antequam ad alia progrediamur, juvat hic e Baronio deſcribere formulam jurisjurandi a novo Rege faciendi, quam ad Germanos tranſmiſit Gregorius.

[b] *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apoſtolo, ejusque Vicario B. Gregorio, qui nunc in carne vivit: & quodcunque ipſe mihi percæperit ſub his verbis, PER VERAM OBEDIENTIAM, fideliter ſicut oportet Chriſtianum obſervabo. De ordinatione vero Eccleſiarum & de terris vel cenſu quæ Conſtantinus Imperator vel Carolus Sancto Petro dederunt, & de omnibus Eccleſiis vel prædiis, quæ Apoſtolicæ Sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore ſunt oblata vel conceſſa, & in mea ſunt vel fuerint poteſtate, ita conveniam cum Papa, ut periculum ſacrilegii & perditionem animæ meæ non incurram: & Deo Sanctoque Petro, adjuvante Chriſto, dignum honorem & utilitatem impendam. Et eo die quando illum primitus videro, FIDELITER PER MANUS MEAS MILES SANTI PETRI ET ILLIUS EFFICIAR.*

LI. Tali vero ſacramento Papæ obſtrictus Cæſar, quid aliud, quæſo, reddebatur, quàm Pa-

[a] UDALRIC. ECCARDI Tomo II. pag. 194.

[b] BARON. an. 1081. num. XI.

Papæ per omnia ſubditus, ſive (ut tunc loquebantur) *homo* & *vaſſallus* Papæ? Id enim ævo illo ſignificabat vox *fidelis* & vox *miles*, ut plurimis exemplis oſtendit Ducangius in *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*. Neque verba illa per *veram obedientiam*, alio fine ſacramento videntur inſerta, quàm ad ſignificandum Papæ in Cæſarem imperium plane deſpoticum & abſolutum. Hinc nati celeberrimi verſiculi in Lateranenſi Palatio poſtea ſcripti:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores;
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Hinc natæ occaſione verſiculorum graviſſimæ ſimultates inter Fridericum I & Adrianum IV. quas memorat Radevicus libro I. cap. 10.

LII. Cetera jurisjurandi verba quò tenderent, quivis etiam me tacente intelligit. Nempe ut Conſtantini donationem, quam quadringentis vel quingentis poſt Conſtantinum annis a Joanne Diacono Romano in gratiam Pontificum confictam; annis octoginta ante Pontificatum Gregorii VII adfirmarat Otto III in Diplomate a Goldaſto & Baronio edito: [a] & quam ut plane commentitiam poſtmodum rejecere Critici ad unum omnes, ne Baronio quidem excepto: certiſſimum titulum Pontificiæ dominationis in urbem Romam certasque Italiæ Provincias, non ſolum agno-

[a] GOLDAST. *Conſt. Imp.* Tomo I. pag. 226. BARON. an. 1191.

agnoſceret, verum etiam ſacramento confirmaret novus Cæſar Rodulphus.

Nam quod ad Caroli Magni vel Caroli Calvi donationes attinet a Gregorio etiam memoratas, in his non ſummum imperium, ſed fructuarium tantum jus Pontificibus conceſſum, diſerte oſtendunt & tabulæ Ottonis I a Baronio productæ ad annum MCCCCLXII, & acta litigii inter Oddonem Comitem & Farfenſes Monachos anno MCIV agitati, cujus meminit Chronicon Farfenſe a Muratorio publicatum. Legatur Petrus de Marca *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, lib. III. cap. XII. & Hermannus Conringius *De Finibus Imperii Germanici* lib. I. cap. 10.

Siquis autem Marcæ vel Conringii Libros non habet, audiat Franciſci Guicciardini Itali Scriptoris ſub Leone X & Clemente VII celeberrimi nobile Fragmentum, quod ex multis editionibus Hiſtorici illius Romanorum induſtriâ abraſum, a Pithæo deinde & Goldaſto Latine editum, nuper a Batavis Gallice, Latine, & Italice recuſſum eſt. Sic autem habet: *Fama quoque eſt, Conſtantinum Orientis provinciarum motibus, Imperii ſedem Byzantium, poſt de ſuo nomine Conſtantinopolim appellatam, transferre compulſum, Pontifici Romanæ urbis aliarumque & urbium & regionum in Italia imperium donaſſe. Quæ fama, quamvis a ſequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & ſuſtentata, eorumque auctoritate a multis credita, eſt ni-*

nihilominus cum ab Scriptoribus gravissimis, tum rebus ipsis refutata. Illud autem certo constat, & tum & longo post tempore, urbem Romam, Italiamque omnem tamquam imperio Cæsarum obnoxiam, ab Imperatorum ministris ac præfectis fuisse gubernatam &c.

Quoniam vero Fragmentum hoc, cujus minimam tantum partem transcripsimus, fictitium & ab hæreticis hominibus Guicciadirni Historiæ Italicæ fraudulenter adsutum adfirmavit non ita pridem Justus Fontaninus: operæ pretium erit ea omnia, quæ tamquam falsa & adulterina Guicciardino abjudicat Fontaninus, Onuphrii Panvinii Historici candidissimi & in vetustis monumentis versatissimi, testimonio confirmari. Sic autem ille scribit ad calcem vitæ Gregorii VII de ipso Gregorio loquens: [a] *Huic uni Romana Ecclesia acceptum referre debet, quod libera sit & ab Imperatorum manu eruta: quod tot divitiis, opibus, & profana ditione locupletata: quod Regibus, Imperatoribus & omnibus Christianis Principibus sit præfecta: a quo postremo, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste eximiusque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum Domina, cum antea tamquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo, sed a quovis Principe Romani Imperatoris præsidiis fulto, premeretur; ab hoc maximæ illius & omni sæculo tremendæ veneran-*

a Panvinius Gretzeri Tomo VI. pag. 113.

randæque Romani Pontificis & infinitæ pene potestatis jus emanavit. Nam etsi ante Romani Pontifices tamquam Religionis Christianæ capita, Christique Vicarii, & Petri Successores colerentur: non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant: ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: de eis judicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII armis Nortmannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiâque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus: præter morem maiorum, contempta Imperatoris auctoritate & potestate, cum Summum Pontificatum obtinuisset; Cæsarem ipsum a quo si non electus, saltem confirmatus fuerat; non dico excommunicare, sed etiam regno imperioque privare ausus est. Res ante ea sæcula inaudita.

LIII. Annus erat MLXXXI, cum Henricus se a Gregorio denuo excommunicatum & in ordinem redactum videns; ad urbem non jam supplex sed ut rerum Dominus, non regiis insignibus depositis sed cultu plane regio cum exercitu pervenit, circumducens secum Clementem Antipapam, quem a Cardinalibus partim vi & metu, partim donis ac pollicitationibus corruptis, solemniter in Dominica Palmarum pro ve-

ro ac legitimo Pontifice agnosci & inaugurari fecit.

LIV. Gregorius Imperatoris & Antipapæ indignationem atque impetum timens, primum in arcem S. Angeli quam egregie munierat; deinde advocato in auxilium Roberto Guiscardo Nortmannorum in Italia Regulo, Salernum in Siciliam recepit sese: ubi mœrore & ærumnis confectus, octavo Kalendas Junii, anno MLXXXV supremum diem obiit. Ejus postrema verba hæc memorantur: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.*

LV. Imperatori reconciliatum, & actorum pœnitentem obiisse, tradit Sigibertus in Chronographia ad annum MLXXXV. [a] *Hildebrandus Papa, qui & Gregorius VII, apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum reperi.* „ Volumus vos scire, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in „ extremis positus ad se vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ „ ceteris, & confessus est Deo & Sancto Petro „ & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali „ cura quæ ei ad regendum commissa erat, & „ suadente diabolo contra humanum genus odium „ & iram concitasse. Postea vero sententiam quæ „ in orbem terrarum diffusa est, pro augmento „ Christianitatis cœpisse dicebat. Tunc demum „ misit prædictum confessorem ad Imperatorem „ &

a SIGIBERT. ex editione PISTORII pag. 605.

„ & ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam cito induebat se angelica veste; & dimisit ac dissolvit vincula bannorum suorum Imperatori & omni populo Christiano, vivis & defunctis, Clericis & laicis; & jussit suos abire, & amicos Imperatoris ascendere. „

Citato Sigiberto ipsissimam hanc narrationem Chronico suo inseruit Albericus Monachus Trium Fontium ex Ordine Cisterciensi, qui medio sæculo XIII florebat. De illa tamen suo jam tempore a nonnullis dubitatum, ante annos ducentos quinquaginta observabat Joannes Aventinus in Boiorum Annalibus.

LVI. Fuit sane Gregorius vir constantissimus: (quis neget?) fuit integerrimæ vitæ Pontifex: fuit simoniacorum & concubinariorum osor ac persecutor acerrimus: fuit Ecclesiasticæ Disciplinæ restituendæ studiosissimus. Divino etiam lumine collustratum humani cordis abdita sæpius penetrasse facile credimus. Denique miraculis in vita & post mortem coruscasse nulli dubitamus. Interea (ut homines non dii sumus) falso quodam zelo animatum, novisque nixum Principiis multa patrasse, multa suasisse, multa scripsisse, quæ hodie bonus nemo probarit; ipsius epistulæ quæ etiam num extant, apertissime confirmant. Quas siquis adcurate legerit, statim intelliget, sanctæ doctrinæ non usquequaque certum argumentum esse vitæ sanctitatem. Nam (ut Melchioris Cani doctissi-

mi ac politissimi Theologi verbis utar [a]) *sanctus fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore & sensum pœnæ & dolorem fuisse negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliastarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium concessit. Sanctus fuit, qui animis piorum usque ad judicii diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce esse putavit. Atque horum opuscula Gelasio comprobata sunt.* Sanctus denique fuit (addo nunc ego) Gregorius Papa VII: qui tamen dum laicis sub anathematis pœna interdixit ab uxoratis Presbyteris sacramenta recipere, vel eorum sacrificiis interesse; *inconsulte & non sine præjudicio, & contra Sanctorum Patrum sententiam* fecisse notatur ab Hermanno Cornero Ordinis Prædicatorum Theologo perantiquo. Qui & illud addit in suo Chronico: [b] *Exortum inde tam grave scandalum, ut laici contra sacros ordines insurgentes, & se ab Ecclesiastica subjectione excutientes, sacramenta temerarent, parvulos per se baptizarent, sordido aurium humore pro oleo sacro & Chrysmate uterentur; in extremo vitæ viaticum dominicum; & usitatum obsequium sepulturæ a Presbyteris conjugatis recipere parvi penderent; Decimas Sacerdotibus deputatas cre-*

a CANUS *De Locis Theolog.* Lib. VII. cap. 3.

b CORNERUS ex edit. ECCARDI Tomo II. pag. 613.

cremarent. Et ut cetera in uno perpendas, Corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcabant laici, & Sanguinem Domini voluntarie effundebant. Hæc ille ad annum MLXXV: quibus multo peiora addidit Aventinus in Annalibus Boicis libro V. cap. XIII.

Sanctus fuit (iterum fateor) Gregorius VII, qui tamen in epistula ad Herimannum Metensem, de auctoritate ac dignitate Romani Pontificis ea scripsit, ea adlegavit, quæ non solum tanto fastigio indigna, verum etiam cuivis Theologo vel mediocri prorsus absurda hodie viderentur.

LVII. Exemplum epistulæ prout describitur a Brunone Saxone, & in Conciliorum Collectionibus habetur, tale est. [a]

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto in Christo fratri N. Episcopo salutem & Apostolicam Benedictionem. Quod ad perferendos labores ac pericula pro defensione veritatis te paratum intelligimus, divini muneris esse non dubitamus &c. Quod autem postulasti, te quasi scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem Sanctæ Sedis Apostolicæ non potuisse Regem Henricum, hominem Christianæ Religionis contemptorem atque hæreticorum auctorem & consentaneum excommunicare, nec quemquam

[a] BRUNO FREHERI pag. 126. Conciliorum Tomo XII. pag. 497.

quam a Sacramento fidelitatis ejus absolvere: non ideo necessarium nobis videtur, cum hujus rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum Scripturarum paginis reperiantur.

Neque enim credimus eos, qui ad cumulum suæ damnationis veritati imprudenter detrahunt & contradicunt, hoc ad suæ defensionis audaciam tam ignorantiæ, quam miseræ desperationis vecordiam cooptasse. Nec mirum: mos est enim reproborum ob suæ nequitiæ protectionem consimiles sibi defendere, quod pro nihilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis in Evangelio: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.

LVIII. *Numquid hic Reges sunt excepti, aut non sunt de ovibus quas Filius Dei B. Petro commisit? Quis ergo in hac universa concessione ligandi atque solvendi, a potestate Petri se exclusum esse existimat? nisi forte infelix ille, qui jugum Domini portare nolens, diaboli se subjicit oneri, & in numero ovium Christi esse recusat. Cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri*

tri divinitus concessam a superba cervice excutit: quoniam quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in judicio portat. Hanc itaque divinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc Privilegium Petro Apostolorum Principi cœlesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque servantes, Sanctam Romanam Ecclesiam tam in generalibus Conciliis, quam etiam in ceteris scriptis & gestis suis universalem Matrem appellaverunt: & sicut ejus documenta in confirmatione fidei & eruditione sacræ religionis, ita etiam judicia susceperunt, in hoc consentientes, & quasi uno spiritu & una voce concordantes, omnes maiores res & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum judicia, ad eam quasi ad matrem & caput referri debere; ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari, aut refelli debere aut posse.

LIX. *Unde B. Gelasius Papa Anastasio Imperatori scribens, divina fultus auctoritate, quid & qualiter de principatu Sanctæ & Apostolicæ Sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit*: Et si, inquit, cunctis generaliter Sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit colla submitti, quanto potius Sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & Divinitas summa voluit præemine-

nere, & subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? *Ubi prudentia tua evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio æquare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet devota primatem.*

LX. *Item Julius Papa Orientalibus Episcopis scribens de potestate ejusdem Sanctæ & Apostolicæ Sedis ait*: Decuerat vos, Fratres, adversus Sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam limate, & non ironice loqui, quoniam & ipse Dominus noster Jesus Christus eam decenter allocutus ait: Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum. Habet enim potestatem singulari privilegio sibi concessam aperire & claudere januam Regni Cœlestis, quibus voluerit. *Cui ergo aperiendi & claudendi Cœli data est potestas, de terra judicare non licet? Absit. Num retinetis quod ait B. Paulus Apostolus: Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia.*

LXI. *Beatus quoque Gregorius Papa a sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ Sedis decreta violare præsumpserit, scribens ad quemdam Seniorem his verbis*: Si quis regum, sacerdotum, judicum, atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agno-

scens,

ſcens, contra eam venire tentaverit; poteſtatis honorisque ſui careat; reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat: & niſi ea quæ ab illo ſunt male ablata reſtituat, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit; a ſanctiſſimo Corpore & Sanguine Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. *Quod ſi B. Gregorius Doctor utique mitiſſimus, Reges qui ſtatua ſua ſuper unum Xenodochium violarent, non modo deponi, ſed etiam excommunicari atque in æterno examine damnari decrevit: quis nos Henricum non ſolum Apoſtolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipſius matris Eccleſiæ (quantum in ipſo eſt) conculcatorem, totiusque Regni & Eccleſiarum improbiſſimum prædonem & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe & excommunicaſſe reprehendat? niſi forte ſimilis ejus, ſicut B. Petro docente cognovimus in epiſtula de Ordinatione Clementis, in qua ſic ait*: Siquis amicus fuerit his quibus ipſe (de eodem Clemente dicens) non loquitur, unus eſt & ipſe ex illis, qui exterminare Dei Eccleſiam volunt; & cum corpore nobiſcum eſſe videtur, mente & animo contra nos eſt; & eſt multo nequior hoſtis is, quam illi qui foris ſunt & evidenter inimici. *Hic Henricus per amicitiarum ſpeciem, quæ inimica ſunt gerit, & Eccleſiam diſpergit ac vaſtat. Nota ergo, cariſſime, ſi cum quis amicitia vel alloquio his,*

quibus Papa pro actibus suis aversus est, associatur, tam graviter judicat: quanta illum ipsum, cui pro actibus suis aversus est, animadversione damnat.

LXII. *Sed ut ad rem redeamus, itane dignitas a sæcularibus, & Deum ignorantibus inventa, non subjicietur ei dignitati, quam Omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit, mundoque misericorditer tribuit? Qui ut Filius Dei & homo indubitanter creditur, ita Summus Sacerdos, caput omnium Sacerdotum, ad dexteram Patris sedens, & pro nobis semper interpellans habetur; qui sæculare regnum unde filii sæculi tument, despexit, & ad Sacerdotium Crucis spontaneus venit. Quis nesciat, Reges & Duces habuisse principium? qui Deum ignorantes superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe videlicet diabolo agitante, super pares scilicet homines dominari cæca cupidine, & intolerabili præsumptione affectaverunt. Qui videlicet, dum Sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparantur, quam ei qui est caput super omnes filios superbiæ, qui ipsum Summum Pontificem Sacerdotum caput, Altissimi Filium tentans & omnia illi mundi regna promittens ait:* Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me? *Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum & Principum omniumque fidelium patres & magistros censeri? Non-*

Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conatur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in Cœlis se ligari posse & solvi? Hæc sicut B. Gregorius in epistula ad Mauritium Imperatorem directa commemorat, Constantinus Magnus Imperator, omnium Regum & Principum fere totius Orbis Dominus evidenter intelligens, in sancta Synodo Nicæna post omnes Episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam supra eos dare præsumpsit; sed illos etiam Deos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ab illorum pendere arbitrio judicavit. Supradicto quoque Anastasio Imperatori prælibatus Papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur injuriam, subintulit dicens: Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sancta Pontificum & Regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus, hominum in divino reddituri sunt examine rationem. *Et paucis interpositis inquit*: Nosti itaque inter hæc illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.

LXIII. *Talibus ergo institutis, talibusque fulti auctoritatibus, plerique Pontificum alii Reges, alii Imperatores excommunicaverunt. Num si speciale aliquid de personis Principum re-*

requiratur exemplum, B. Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quod consensit ut S. Joannes Chrysostomus a Sede sua pelleretur, excommunicavit? Alius item Romanus Pontifex Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati non erat utilis, a Regno deposuit; & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis quod illi fecerant, absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate sæpe agit Ecclesia Sancta; cum milites absolvit a vinculo juramenti quod factum est his Episcopis, qui Apostolica auctoritate a Pontificali gradu deponuntur. Et B. Ambrosius licet Sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa quæ aliis Sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia exclusit. Qui etiam in scriptis suis ostendit, quam Regia dignitate sit altior dignitas Sacerdotalis, hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens: Honor, Fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, si Regum fulgori compares: quippe cum videas colla Regum & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculata eorum dextra orationibus eorum credant se communiri &c.

LXIV. *Meminisse etiam debet fraternitas tua, quod maior potestas Exorcistæ conceditur;*

qua

qua spiritualis Imperator ad abigendos dæmones constituitur, quam alicui laicorum causa sæcularis dominationis tribui possit. Omnibus Regibus nempe & Principibus terræ, qui religiose non vivunt, & actibus suis Deum (ut oportet) non metuunt, dæmones (heu proh dolor) dominantur, & misera servitute confundunt, &c. Porro autem si Exorcistæ (ut diximus) supra dæmones a Deo imperium habent; quanto magis supra eos, qui dæmonibus subjecti & membra sunt dæmonum? Si ergo his tantum præeminent Exorcistæ, quanto amplius Sacerdotes?

LXV. *Præterea omnis Rex Christianus ad exitum veniens, ut carcerem evadat inferni, ut de tenebris in lucem tendat, ut de peccatorum vinculis in Dei judicio solutus appareat, Sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo Sacerdotum, verum etiam laicorum in extremis positus pro suæ animæ salute terreni Regis imploravit auxilium? Quis vero Regum aut Imperatorum aliquem Christianum ex imposito sibi officio valet sacro baptismate ex diaboli potestate eripere, & inter filios Dei connumerare, sanctoque Chrismate præmunire? Et (quod maximum est in Christiana Religione) quis eorum valet proprio ore corpus & sanguinem Domini conficere? Vel cui eorum data est potestas ligandi solvendique in Cœlo & in terra? Ex quibus aperte colligitur,*

quan-

quanta potestate praecellat dignitas Sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem Clericum in Sancta Ecclesia ordinare? quanto minus pro aliqua culpa eum deponere. Quis igitur vel tenuiter sciolus dubitet Sacerdotes Regibus anteferre? Quod si Reges pro peccatis suis a Sacerdotibus sunt judicandi, a quo rectius, quam a Romano Pontifice sunt judicandi?

LXVI. Ad summum quoslibet bonos Christianos multo convenientius, quam malos Principes Reges intelligi decet. Isti enim gloriam Dei quaerendo semetipsos strenue regunt: at illi non quae Dei sunt, sed sua quaerentes, sibimet hostes, alios tyrannice opprimunt. Hi veri Reges Christi, illi vero diaboli corpus sunt, &c.

Perinde videtur utile maxime Imperatoribus & Regibus, ut cum mens illorum se ad alta erigere, & pro singulari vult gloria oblectare, inveniat quibus se modis humiliet, atque unde gaudebat sentiat plus timendum. Perspiciant ergo diligenter, quam periculosa, quamve timenda sit Imperatoria vel Regia dignitas, in qua paucissimi salvantur, & illi qui Deo miserante ad salutem veniunt, non aeque ut multi pauperum, judicio Sancti Spiritus in Sancta Ecclesia glorificantur. A mundi enim principio usque ad haec nostra tempora in tota authentica Scriptura non invenimus septem Imperatores vel Reges, quorum vita fuerit a Deo praecipua

re-

religione & virtute signorum decorata, sicut universalis multitudinis sæculi contemptorum: licet eorum plures credamus apud Omnipotentem Deum misericordiæ salutem invenisse. Namque ut de Apostolis & Martyribus taceamus, quis Imperatorum vel Regum æque ut B. Martinus, Antonius, & Benedictus miraculis claruit? Quis Imperator aut Rex mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit? Ecce Constantinum piæ memoriæ Imperatorem, Theodosium, & Honorium, Carolum, & Ludovicum, justitiæ amatores, Christianæ Religionis propagatores, Ecclesiarum defensores, Sancta quidem Ecclesia laudat & veneratur; non tamen eos floruisse tanta miraculorum gloria judicat, &c.

LXVII. *Unde profecto valde est timendum, atque ad memoriam eorum crebro revocandum, quod (sicut præfati sumus) a mundi principio paucissimi per diversa terrarum regna Reges sancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur: cum in una tantum Pontificum seriatim Sede, videlicet Romana, a tempore B. Petri Apostoli centum inter sanctissimos computentur, &c.*

LXVIII. *Quod si ad Apostolicam Sedem,* IN QUA RITE ORDINATI MERITIS *B.* PETRI APOSTOLI MELIORES EFFICIUNTUR, *quod timent coacti veniunt cum magno timore; ad Regni solium cum quanto timore accedendum, in quo etiam boni*

&

& humiles (sicut in Saul & David cognoscitur) deteriores fiunt? Nam quod de Apostolica Sede prælibavimus, in Decretis B. Symmachi Papæ, (licet experimento sciamus) sic continetur: Ille scilicet B. Petrus perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros. *Et post pauca*: Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit, in qua si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur: aut enim claros ad hæc vestigia erigit, aut eos qui eriguntur illustrat, &c.

LXIX. Habes in hac Gregorii celebratissima epistula fundum omnem Romanæ Theologiæ de auctoritate Summorum Pontificum ad exauctorandos Reges sibi rebelles. Armamentarium hoc est, unde argumenta sua omnia, & quidquid sibi ad sæculares Principes oppugnandos usui esse potest, desumunt Theologi Ultramontani. Quocirca qui argumenta & testimonia a Gregorio in aciem producta disjesserit, ac ficulnea esse demonstrarit: næ is uno velut ictu prosternet, quidquid post Gregorium in Reges moliti sunt nostro & superiori sæculo Bellarminus, Suarezius, Becanus, Gretzerus, Aguirrius, Rocabertius, Charlas, & qui hos postea exscripsere.

LXX. Primum objicit Gregorius celeberrimum locum Evangelii: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum*

tum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. At si verbum illud *quodcumque* ea generalitate accipi a nobis debet, qua accipi necesse est, ut id quod probandum suscepit, conficiat Gregorius: nulla jam causa erit, quæ Pontifices prohibeat arcere a Regno non solum malos, sed etiam bonos Reges: non solum hæreticos, sed etiam Catholicos. Nulla quæ ipsos prohibeat exauctoratis Regibus substituere non filios, non nepotes ipsorum Regum, non ejusdem nationis Principes; sed ipsorum Pontificum vel fratres, vel fratrum filios, vel alios quosvis indigenas, exteros, prout sibi vel Romanæ Curiæ collibuerit. Nulla quæ ipsos prohibeat Gallis verbi gratiâ imperare, ne cum Germanis bellum gerant, ne cum Hispanis hoc vel illud fœdus ineant: Hispanis item, ne Siciliæ Regi aut Parmæ Duci auxilio sint, ne matrimonium contrahant cum Principe Austriaca: denique Lusitanis, ne a regno Jesuitas expellant, ne nova populis tributa imponant, ne Anglorum amicitiam colant. Quidquid contra fecerit vel Galliæ, vel Hispaniæ, vel Lusitaniæ Rex; irritum id, ac nullius vigoris auctoritate Apostolica declarari. Querentibus enim sibi in his omnibus injuriam fieri a Pontifice, respondebit Pontifex; Successoribus Petri datam a Christo esse potestatem ligandi ac solvendi, quodcumque vellent. Velle autem se pro communi bono Ecclesiæ publicisque Christiani populi utilitatibus, ut Rex Galliæ

aut Hiſpaniæ non ſit Ludovicus XV aut Carolus III; ſed Columna Comes Stabuli, & Burgheſius Princeps. Velle ſe item iiſdem de cauſis cetera omnia fieri, quæ ſupra indicavimus.

LXXI. Porro autem ſic argumentantem, ſic reſpondentem, quis hodie Chriſtianorum Regum ferret Pontificem? Planum ergo eſt, verba illa Petro dicta: *Quodcumque ligaveris, quodcumque ſolveris*, eo in ſenſu accipi oportere, ad eumque ſenſum contrahi, quo ceteris quoque Apoſtolis alibi dixit idem Chriſtus: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.*

Atqui ceteris Apoſtolis hoc in loco non dedit Chriſtus poteſtatem deponendorum Regum. Si enim dediſſet Apoſtolis, dediſſet & Epiſcopis Apoſtolorum Succeſſoribus. Epiſcopis autem talem poteſtatem competere jure clavium nemo hucuſque ſomniavit, nemo dixit. Igitur & cum Petro ante reſurrectionem dixit Chriſtus: *Quodcumque ligaveris, quodcumque ſolveris*: & cum ceteris Apoſtolis ante reſurrectionem pariter Chriſtus dixit: *Quæcumque alligaveritis, quæcumque ſolveritis*: alia cauſarum genera ſuis verbis non ſignificavit Chriſtus, niſi quæ ipſe poſt reſurrectionem deſignavit, cum Apoſtolos omnes in communi adloquens ita dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata re-*

mittuntur eis, *& quorum retinueritis retenta sunt*. Ergo quorum remittendorum vel retinendorum judiciariam poteſtatem Petro & ceteris Apoſtolis donavit Chriſtus, non regna ea fuerunt, non imperia, non poſſeſſiones, non bona, non fortunæ, non ſubditorum tributa & obſequia, non jura belli ac pacis, non fœdera politica, non civiles conventiones: ſed ſolum fuerunt peccata, contractique ex peccatis ſpirituales obligationes & noxæ: peccata enim ſola heic deſignavit Chriſtus, & nihil amplius deſignavit. Præclare hic omnino Bernardus ad Eugenium Papam: *Non monſtrabunt, puto, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum*: *ERGO IN CRIMINIBUS, NON IN POSSESSIONIBUS POTESTAS VESTRA.*

LXX. Quod autem quærit Gregorius, *numquid hic ſunt Reges excepti*, neutiquam utique ſunt excepti Reges: nam Regum ipſorum peccata æque remittere vel retinere poſſunt Apoſtoli & Apoſtolorum Succeſſores, ac peccata hominum privatorum. Sed a Sacerdotibus remitti peccata vel Regum vel privatorum nihil aliud eſt, quam a Deo reconciliatos reddi, ſacramentorumque participatione & fructu dignos a Sacerdotibus declarari. Contra retineri peccata nihil eſt aliud, quam a Dei gratia, a ſuſcipiendis ſacramentis, a piorum cœtu arceri: ita ut hac in parte non deterior ſit Regis quam Pontificis condi-

tio. Uterque enim ubi ad Pœnitentiale Forum ventum eſt, æque judicio Sacerdotis ſubeſt; ut vel dignus ſolvatur, vel indignus ligetur, ſalvis interim & intactis temporalibus rebus omnibus, juribus, & bonis. Nam animas tantum, non corpora attingit Clavium poteſtas; quæ ſicut tota ſpiritualis eſt, ita circa ſolos hominum ſpiritus verſatur.

Atque hunc ſenſum quidem Evangelicorum verborum cum ante & poſt Gregorium VII in Miſſalibus & Ritualibus ſuis conſtanter per mille & amplius annos tradiderit & confeſſa fuerit Romana Eccleſia: noviſſimis his temporibus immutandum ſeu potius corrumpendum curarunt Romani Theologi, dum ab oratione Cathedræ Sancti Petri vocem *animas* (quæ in omnibus ante Codicibus ſcriptis & impreſſis conſtanter legebatur) peſſima fide in recentioribus editionibus eraſere.

LXXIII. Similiter locum Apoſtoli ex priori ad Corinthios: *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſæcularia?* quem ſecundo loco in rem ſuam profert Gregorius, veterum Patrum nemo ita intellexit, ut crederet, ex doctrina Pauli competere Romanis Pontificibus auctoritatem ad ſæculares Principes regno & bonis ſuis multandos. Loquitur enim Apoſtolus ibi non ſolum Clericis, verum etiam laicis, adeoque Chriſtianis omnibus loquitur: quos ne cauſas ſuas apud Ethnicos, ſed apud Chriſtianos Judices profe-

ſequantur, eo argumento hortatur Apoſtolus, quod non inhabiles temporalibus cauſis decidendis exiſtimari debeant ii, qui in futuro ſæculo Angelos ipſos ſunt judicaturi.

LXXIV. Jam teſtimonia antiquorum Patrum a Gregorio laudata excutiamus. Ac Gelaſii quidem illud ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribentis, *Cunctis generaliter Sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium colla debere ſubmitti*, & quæ ſequuntur; nihil Gregorii cauſam juvant. Nam Sacerdotibus cunctis, præſertim vero Sacerdotum Capiti Romano Pontifici, ubi illi *divina tractant*, debere non privatos tantum, ſed ipſos etiam Reges obſequi, & dicto audientes eſſe quis neget? At quid divina cum humanis? quid ſpiritualia cum temporalibus? Quid Sacerdotalis & Pontificia auctoritas cum civili juriſdictione, cum Regiis juribus, cum bellis, cum fœderibus, cum tributis, cum contractibus, cum legibus ad publicam quietem & ſecuritatem pertinentibus?

Quod de Julio Papa deinde objicit Gregorius, deſumptum id fuit ex epiſtula ad Orientales, non illa ſane quam nobis Athanaſius conſervavit; ſed quam ab Iſidoro Mercatore Julio Papæ ſuppoſitam non ſolum Blondellus & Launoius, ſed Labbæus etiam atque Harduinus in ſuis Conciliorum Collectionibus adnotarunt.

LXXV. Adulterinam pariter eſſe & in eadem Iſidori officina confictam epiſtulam Clementis Papæ

pæ ad Jacobum Jeroſolymitanum Epiſcopum, unde Petri Apoſtoli teſtimonium adlegat Gregorius, ipſa ejus inſcriptio manifeſtat. Multis quippe annis antequam Pontificatum ſuſcepiſſet Clemens, obierat Jacobus Apoſtolus. In qua cenſura præiere quidem nobis ex antiquioribus Petrus Comeſtor, Gobelinus Perſona, Joannes Driedo, Claudius Spenſæus; ex recentioribus vero Baronius, Bellarminus, Perronius; nempe Cardinales tres Gregorii VII ſtrenuiſſimi defenſores. Neque ſi genuina eſſet hæc epiſtula, firmum propterea argumentum ducere inde poterat Gregorius. Nam eo ipſo in loco, in quo Petrus inducitur ea de Clementi enuncians, quæ ſupra audivimus: Clementem ipſum *judicem aut cognitorem ſæcularium negotiorum* eſſe vetat Petrus. Qui & ſequentia addit de Clemente: *Ligabit quod ligari oportet, & ſolvet quod oportet ſolvi, tamquam qui Eccleſiæ regulam noverit.* Quod quam longe a poteſtate exauctorandi Reges abeat, nemo non videt. Sed vel ex hoc loco diſces, quam antiqui moris ſit Romanis Pontificibus falſis Iſidori Decretalibus abuti ad nova dogmata confirmanda.

LXXVI. Magis negotium faceſſere nobis videtur conceſſum a Gregorio Magno (ſi alteri Gregorio credimus) Auguſtodunenſi Xenodochio privilegium. Et ſane verum illud Gregorii Primi privilegium eſſe cum Benedictinis ſuis propugnat San-Marthanus in Notis ad epiſtulas ejuſdem Gregorii. Sed falſum multis iiſque graviſſimis

mis argumentis demonſtrat Launoius in duobus Tractatibus de eodem argumento, quorum prior inſcribitur, *Inquiſitio in Privilegium S. Medardi*, poſterior *Aſſertio in Privilegium S. Medardi*: Dupinus *de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina*, Diſſert. VII. cap. III. §. III. & Cointius Oratorii Gallicani Presbyter in Annalibus Francorum, ad annum DXCIII. Ut miſſa faciamus cetera argumenta, non videtur certe cum Gregorii I modeſtia & manſuetudine cohærere, quod ob violatam unius Xenodochii immunitatem omni poteſtate & honore priventur non ſolum Magiſtratus, ſed etiam Reges. Sed de hoc rurſus infra. Interim cum Illuſtriſſimo Boſſueto operæ prætium eſt obſervare, ſive a Gregorio Magno, ſive ab altero quopiam formula illa prodierit; poſſe illius verba, imo debere in eum ſenſum accipi a legentibus, ut non per modum ſententiæ, ſed per modum imprecationis dicta intelligantur. Qualia multa temporibus illis non modo Pontifices & Epiſcopi, verum etiam Laici adhibere ſolebant, cum de non violandis decretis ac rebus ſuis agebatur. Ut apud Gregorium Turonenſem lib. IX. cap. XLII. Sancta Redegundis in violatorem teſtamenti ſui: *Dei & S. Crucis & B. Mariæ incurrat judicium, & Beatos Confeſſores Hilarium & Martinum habeat contradictores & perſecutores*. Et apud Marculphum Formularum libro II. cap. I. Laici in Donationibus: *Siquis hanc voluntatem meam per quaslibet adinventiones*

nes convulsor aut tergiversator extiterit, anathema sit, & tam qui fecerit, quam qui faciendo consenserit, anathema sit: & sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt, vivens in infernum descendat. Et Imperator Alexander in suis Novellis apud Leunclavium: *Deum sibi adversantem inveniant, & Cœlestes potestates infestas: ante diem de hac præsenti vita migrent, atque etiam futuræ jacturam faciant: denique ut semen eorum perpetuam ignominiam sentiat & panem mendicet.* Plura ejus generis dabit Mabillonius *De Re Diplomatica* libro II. cap. VIII.

LXXVII. Quinto loco pro se laudat Gregorius VII epistulam Gregorii Magni ad Mauritium Imperatorem, in qua ille Pontificiam & Episcopalem dignitatem commendat exemplo Constantini Imperatoris, qui in Nicæna Synodo & cognoscere de causis Episcoporum recusavit, & *Deorum* nomine honestavit ipsos Episcopos. Constantini dictum & exemplum Mauritio Imperatori non minus oportune quam modeste in memoriam revocat Magnus Gregorius. Sed quid hoc ad deponendum Henricum? Legatur illa epistula Gregorii Magni: statim meridiana luce clarius adparebit, quantum intersit inter Gregorium & Gregorium. Septimus Gregorius in sua epistula Henricum Imperatorem adpellare non veretur *Christianæ legis contemptorem, ipsius matris Ecclesiæ conculcatorem, hæreticorum auctorem, totius Regni & Ecclesiarum improbissimum prædonem & atro-*

cis-

cissimum destructorem. Contrà Mauritium Imperatorem, qui eum *fatuum* dixerat, vide quanta modestia adloquatur Gregorius I in sua epistula: [a] *In serenissimis jussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime pepercit. Nam in eis urbane simplicitatis vocabulo me fatuum appellat.... Ego igitur, qui in serenissimis Dominorum jussionibus ab Ariulphi astutia deceptus, non adjuncta prudentia simplex denuntior, constat proculdubio quia fatuus appellor: quod ita esse ego quoque ipse confiteor..... Hoc tamen piissimo Domino suggero, ut de me mala omnia quælibet existimet, de utilitate vero Reipublicæ & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facile pias aures præbeat, sed plus rebus quam verbis credat. Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur; sed excellenti consideratione propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dii, aliquando Angeli vocantur, &c. Hoc ergo Pietati Dominorum non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum, &c.*

LXXVIII. Septimus Gregorius in epistula sua docet & adfirmat, humanorum regnorum & principatuum non Deum, sed diabolum auctorem fuisse, *quo agitante, super pares scilicet homi-*

a GREGOR. Tom. II. MAURINÆ edition. pag. 765. & seqq.

nes dominari cæca cupidine & intolerabili præsumptione affectaverunt Reges & Duces. Contrà Primus Gregorius in alia epistula ad undem Mauritium planissime fatetur, ipsius imperium a Deo esse, dominarique illum ex Dei jussione etiam ipsis Romanis Pontificibus cunctisque Sacerdotibus, ac propterea Imperatoris jussa strenue exequi se debere ut famulum. [a] *Omnipotenti Deo*, inquit, *reus est, qui Serenissimis Dominis in omne quod agit & loquitur purus non est. Ego autem indignus Pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque ut Episcopus, neque ut servus jure Reipublicæ, sed jure privato loquor: quia, Serenissime Domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras.* Mox in legem a Mauritio latam, qua prohibebantur milites monachi fieri, quædam summa modestia cum adnotasset, pergit in hunc modum. *Ego vero hæc Dominis meis loquens quid sum nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, Dominis tacere non possum. Ad hoc enim* POTESTAS SUPER OMNES HOMINES DOMINORUM MEORUM PIETATI CŒLITUS DATA EST, *ut qui bona appetunt, adjuventur .... Ad hæc ecce per me servum ultimum suum & vestrum respondebit Christus dicens: Ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem feci.*

SA-

[a] Ibid. pag. 675. & seqq.

SACERDOTES MEOS TUÆ MANUI COMMISI, & tu a meo ſervitio milites tuos ſubtrahis? Poſtremo ad calcem epiſtulæ: *Ego quidem juſſioni ſubjectus, eandem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci: & quia lex ipſa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam Sereniſſimis Dominis nunciavi. Utrobique ergo quæ debui exſolvi, QUI ET IMPERATORI OBEDIENTIAM PRÆBUI, ET PRO DEO QUOD SENSI MINIME TACUI.* Et rurſus de eadem lege ſcribens ad Theodorum Medicum: [a] *Valde mihi durum videtur, ut ab ejus ſervitio milites ſuos probibeat, qui ei & omnia tribuit, ET DOMINARI NON SOLUM MILITIBUS, SED ETIAM SACERDOTIBUS CONCESSIT.*

LXXIX. Denique Gregorius Septimus omnem lapidem movit, ut Imperio a patribus accepto Henricum Imperatorem privaret: Germanos enim Principes & populos adverſus Henricum concitavit: excommunicato ſubrogari eidem fecit Rodulphum, & Rodulpho mortuo Hermannum Regem. Contrà Gregorius Primus Mauritium videns a Clericatu officiales laicos, a monachatu milites prohibentem, tantum abeſt ut vel excommunicet vel deponat; ut Imperatorem talia decernentem Dominum ſuum agnoſcat, legemque ab eo latam tamquam ſubditus promulgari faciat; contentus non alia minari, quam indignationem Omnipotentis Dei, cujus ſolius judicio re-

[a] Ibid. pag. 670.

reservanda Regum peccata ipse cum tota antiquitate probe agnoscebat. Itaque ad Theodorum Medicum scribens pro revocatione legis ita monebat: *Tu quidem gloriose fili, pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum est animæ prædicti Domini tui & tuæ: si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ fecisti.* Nempe Gregorio judice, ubi aliqua injuste in Ecclesiam vel Ecclesiæ Ministros decreverint sæculares Principes, ultra admonitiones precesque & lacrymas, nihil Sacerdotibus in ipsos Principes audere licet.

LXXX. Itaque in alia epistula ad Sabinianum Diaconum, quæ est XLVII. libri IV. ubi quædam Longobardorum Regum sive jussu sive permissu in Episcopos factitata commemorat, hæc subjungit modestissimus & sanctissimus Pontifex.[a] *De qua re unum est, quod breviter suggeras Serenissimis Dominis nostris: quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* Et libro V. epistula XXI. ad Constantinam Augustam:[b] *Præterea indico, quia Serenissimi Domini scripta suscepi, ut fratri & Consacerdoti meo Joanni debeam esse pacificus.... Triste tamen valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis*

[a] Ibid. pag. 726. [b] Ibid. pag. 750.

ctis omnibus prædictus frater & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus .... Unde per Omnipotentem Dominum rogo, ne Pietatis veſtræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari. Et infra: *Salonitanæ Civitatis Epiſcopus me ac Reſponſali meo neſciente ordinatus eſt, & facta res eſt, quæ ſub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod ego audiens, ad eundem prævaricatorem qui inordinate ordinatus eſt, protinus miſi, ut omnino Miſſarum ſolemnia celebrare nullo modo præſumeret, niſi prius a Sereniſſimis Dominis cognoſcerem, ſi hoc fieri ipſi juſſiſſent, quod ei ſub excommunicationis interpoſitione mandavi .... Ego autem præceptioni Pietatis eorum obediens, eidem qui me neſciente ordinatus eſt, hoc quod in ordinatione ſua me vel Reſponſalem meum prætermittere præſumpſit, ita ex corde laxavi, ac ſi me auctore fuiſſet ordinatus. Alia vero perverſa illius, ſcilicet mala corporalia quæ cognovi, vel quia cum pecuniis eſt electus, vel quia excommunicatus Miſſas facere præſumpſit, propter Deum irrequiſita præterire non poſſum.... Prius tamen quam hæc cognoſcantur, Sereniſſimus Dominus diſcurrente juſſione præcepit, ut eum venientem cum honore ſuſcipiam. Et valde grave eſt, ut vir de quo tanta & talia nunciantur, cum ante requiri & diſcuti debeat, honoretur. Et ſi Epiſcoporum cauſæ mihi commiſſorum apud piiſſimos Dominos aliorum patrociniis diſponuntur,*

tur,

tur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut Episcopi mei me dispiciant & contra me refugium ad sæculares judices habeat, Omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo.

LXXXI. Gregorium Pontificem Maximum cum superbo & refractario Episcopo Constantinopolitano in gratiam redire jubet Mauritius Augustus. Jubet a Gregorio perhonorifice suscipi, ubi Romam accesserit, Episcopum Salonitanum illicite ordinatum, & ob scelera suspensum & excommunicatum. Quid ad hæc Sanctissimus Pontifex? Tristia, dura, indecora sibi fatetur esse Mauritii jussa. Queritur malorum Episcoporum patrocinium ac defensionem a laicis Magistratibus suscipi. Dolet a suis Episcopis Cæsaris favore confisis despicatui se haberi. Interim tamen non irascitur, non maledicit, non minatur, non fulminat: sed peccatis suis imputat, quæ alii peccabant. O divinum & vere in ipsa humilitate magnum Gregorium! Utinam vel te vel tui plane similes Pontifices haberent nostra tempora. Non ita fœde colliderentur inter se Imperium & Sacerdotium: non tot annos adflictæ ac perturbatæ existerent res Ecclesiæ: non dolerent tot Reges, tot Principes Christiani, eo rem adductam esse a Curia Pontificia, ut nemini jam Catholicum esse liceat, nisi simul Rex esse desinat.

LXXXII. Tandem in epistula ad Phocam Imperatorem Mauritii successorem, quæ est XXXI, li-

libri XIII. non minus diserte profitetur Gregorius Magnus, sive mali sint Reges, sive boni, utrorumque tamen imperium a Deo esse, qui ut apud Danielem legitur, *dominatur excelsus in regno hominum, & cum voluerit, ipse dat illud.* Sic igitur ait: [a] *In Omnipotentis Dei incomprehensibili dispensatione alterna sunt vitæ mortalis moderamina, & aliquando cum multorum peccata ferienda sunt, unus erigitur per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur: aliquando vero cum misericors Deus mœrentia multorum corda sua decrevit consolatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, & per ejus misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit.*

Profecto quæ a Gregorio Magno in superioribus audivimus, longe illa absunt a doctrina & factis Gregorii VII. Neque dubitabit aliquis pro aperta ac detestanda hæresi habendum id, quod Septimus Gregorius in epistula illa tam confidenter adseruit: nempe diabolo auctore & instigatore terris invectos Reges & Principes fuisse, qui aliis dominarentur. Pugnat enim hæc Gregorii Septimi doctrina cum doctrina Apostoli ad Romanos scribentis: *Non est potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Pugnat cum constanti SS. Patrum traditione, ex quibus unum vel alterum hic proferre satis erit. Irenæus lib.

a Ibid. pag. 1239.

lib. v. cap. 24. *Non diabolus determinavit hujus sæculi Regna, sed Deus.* Tertullianus in Apologetico: *Inde Imperator, unde & homo, antequam Imperator.* Augustinus libro v. De Civitate Dei, cap. 25. *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in Regno Cœlorum solis piis, Regnum vero terrenum & piis & impiis.* Et paullo post: *Qui Augusto imperium dedit, ipse & Neroni: qui Vespasianis suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Juliano.* Qui plura voluerit, legat *Doctrinam Veteris Ecclesiæ De Suprema Regum etiam in Clericos Potestate* Prepos. I.

LXXXIII. Merito igitur Leodiensis Clerus doctrinam & gesta utriusque Gregorii inter se comparans, ita scribit in laudatissima epistula adversus Paschalem II. [a] *Hildebrandus Papa auctor est hujus novelli schismatis,* ET PRIMUS LEVAVIT SACERDOTALEM LANCEAM CONTRA DIADEMA REGNI. *Quis Pontificum Romanorum suis umquam Decretis auctorizavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius Primus hujus nominis Papa, quid omnes ante se Papæ super hoc senserint, & quid omnes post se sentire debeant ostendit, scribens Sabiniano Diacono:* Unum est quod suggeras Serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum

a Codex UDALRICI ex editione ECCARDI Tom. II. pag. 250.

eorum in morte Longobardorum consentire voluissem, eorum gens nec Duces, nec Comites haberet: sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. *Hoc exemplo omnes a Gregorio Primo Pontifice utebantur suo gladio spirituali usque ad ultimum Gregorium, id est, Hildebrandum, qui primus se & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli.*

LXXXIV. Sed exempla tria nobis objicit Gregorius Septimus, ex quibus duo nihil ad deponendos Reges pertinent, tertium vero parum sincere exponitur a Gregorio.

Primum exemplum est Innocentii Papæ I, qui Arcadium Imperatorem, quod consensit ut S. Joannes Chrysostomus a Sede sua pelleretur, excommunicavit. Sed quæstio non est, utrum sæculares Principes possit aliquando excommunicare Romanus Pontifex: sed utrum possit aliquando regno privare & obedientiâ subditorum. Adde quod (ut observat Illustrissimus Bossuetus lib. 1I. cap. 6.) excommunicationem illam Arcadii commentitiam, & a Græculis quibusdam recentioribus confictam, hodierni Critici omnes Panvinium secuti miro consensu judicant. Ex quibus familiam ducit Tillemontius, ubi de Innocentio & Arcadio verba facit: cui addere licet Cutantium in Monito ad epistulam Innocentio suppositam, qua nititur Arcadii excommunicatio; necnon Launoium in Assertione *in Privilegium S. Medar-*

 di,

di, parte III. capite XVII. & Natalem Alexandrum in Historia sæculi XI & XII, dissert. II. art. X.

LXXXV. Alterum exemplum est Ambrosii Mediolanensis, qui Theodosium Imperatorem cæde Thessalonicensium maculatum ab Ecclesiæ ingressu exclusit, & ut nova lege subditorum vitæ consuleret auctor fuit. Sed qui hoc Ambrosii exemplo abutuntur ad confirmandam Summorum Pontificum in temporalia Regum potestatem, eos sane internum Pœnitentiæ Forum cum externa jurisdictione pessima fide confundere, e nostris dudum adnotarunt Bossuetus & Dupinus, idque ipsa res clamat. Nam ex ipsa facti narratione, quam adcuratissimam nobis reliquit Theodoretus libro v. cap. XVIII. planum est Ambrosium non alio modo se gessisse in Theodosium, quam si Confessarius quispiam Regi peccata sua ultro confitenti ac dolenti, suaque omnia in potestate ejus ponenti, pœnitentiæ loco imponeret tot aureos nummos verbi gratia in pauperes erogare, vel nova lege prioris legis iniquitatem corrigere. Quam Confessarii potestatem siquis extendit ad Reges imperio & imperii administratione privandos, fateri ac concedere is debet, potestate deponendorum Regum gaudere non solum Summum Pontificem, verum etiam Episcopum; non solum Episcopum, verum etiam quemlibet Sacerdotem. Quæ quam sint absurda & intoleranda nemo non videt. Verba autem illa, quæ tamquam Ambrosii laudat Gregorius ex Libro Pastorali, in nullis

Ambrosii editionibus reperiuntur. Itaque Ambrosii non esse, nec si essent, Gregorii causam ullo modo juvare, ante me adnotarunt viri eruditi plurimi.

LXXXVI. Tertium exemplum Zachariæ Pontificis Childericum Gallorum Regem exauctorantis operosiorem postulat discussionem. Est enim factum hujusmodi apud veteres Theologos & Canonistas famosissimum, postquam ex hoc loco Gregorii caput *Alius* efformavit & in suum Decretum retulit Gratianus, causa XV. quæstione VI. Sed antequam de ea re doctorum virorum sententias exponam, lectores meos rogo, ut ad verba Gregorii paullo diligentius animum advertant. Sic igitur ait: *Alius item Romanus Pontifex Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit.* Non declarat apud Brunonem Gregorius nomen Pontificis vel Regis: Sed Zachariam & Childericum ab eo designari inter omnes convenit: idque Labbei & Harduini editiones præ se ferunt aperte. Si Gregorium igitur audimus, Gallorum Regem non alia de causa deposuit Romanus Pontifex, nisi quia *tantæ potestati non erat utilis*. Ex sensu igitur Gregorii depositione digna res inertia Regum. Cum igitur nulli inertiores Reges sint, quam Reges vel pueri vel adolescentuli; ubi regni gubernacula susceperit septennis vel decennis Princeps, statim ut *inutilis tantæ potestati* deponi a Ro-

mano Pontifice poterit Rex novellus. Apage cum ista Theologia.

LXXXVII. Revera si Childericum deposuit Zacharias, duodecimum annum (secundum certissimos Natalis Alexandri calculos) vix adtigerat Childericus, cum a Zacharia fuit regno exutus. Quis autem credat, a Zacharia Pontifice sanctissimo & prudentissimo Childericum exauctoratum non ab aliud crimen, quam quod duodennis regnaret? Florent hodie multa Regna, multique Principatus, in quibus Reges & Principes liberam dominandi potestatem ante annum ætatis decimum quartum vel decimum sextum non solent suscipere, Regiis Administris omnia interim moderantibus. An ideo socordes & solio indigni? Vetat igitur Zachariæ eximia sanctitas & justitia, credere nos ab illo depositum Childericum propterea, quod nihil regium, nihil clarum in se, præter Regis vocabulum præferebat.

LXXXVIII. Quid igitur dicemus ad Gregorii narrationem, quam miro consensu veram ostendunt tot Annales antiqui a Phitæo & Duchesnio editi, ut Fuldenses, Loiselliani, Tiliani, Bertiniani, Metenses: & quam post Eginhardum illorum temporum Scriptorem celeberrimum ad posteros transmisere Marianus Scotus, Sigibertus, Otto Frisingensis, Martinus Polonus, Abbas Urpergensis, Guillelmus Nangius, Robertus Gaguinus, Joannes Trithemius, Joannes Aventinus, Albertus Crantzius, Paulus Æmilius.

Du-

LXXXIX. Duplicem reſponſionem nobis ſuppeditant Critici recentiores. Alii totum factum de Legatione Gallorum & Decreto Zachariæ fabuloſum exiſtimant, ducti graviſſimis argumentis, quæ a Natale Alexandro in Hiſtoria ſæculi VIII diſſert. II. & a Carolo Cointio in Annalibus Francorum ad annum DCCLII num. 8. peti poſſunt. Uterque porro obſervat, auctoritatem Eginhardi in vita Caroli Magni non tanti faciendam, ut vera credi a nobis debeant, quæ ille de Regum Merovingorum inertia & ſocordia, deque orta inde Childerici depoſitione commemorat; & quæ Eginhardum ſecuti tanto pòſt conſenſu tradiderunt Gallici & Germani Annalium Scriptores. Fatetur enim ipſe Eginhardus, ſe de Caroli Magni nativitate, infantia, & pueritia, nihil propterea ſcripſiſſe, *quoniam de iis neque ſcriptis umquam aliquid declaratum eſt, neque quisquam modo ſupereſſe invenitur, qui horum ſe dicat habere notitiam.* Multo minus ergo ſcire Eginhardus potuit res geſtas ante Caroli Magni ortum.

XC. Alii Eginhardi & aliorum narrationem ſic cum veritate componunt, ut dicant, in depoſitione Childerici non alias fuiſſe partes Zachariæ, quam quod Gallis Principibus Childerico Pipinum ſubrogantibus ſuffragio, & adprobatione ſua opitulatus eſt Romanus Pontifex. Hanc reſponſionem ſæculo XIII adoptavit Gratiani Gloſſator Bartholomæus Brixienſis, cum in capite *Alius*

ver-

verbum illud *deposuit*, sic explicavit, *deponentibus consensit*. Adoptavit post Gratiani Glossatorem ineunte sæculo XIV Joannes Parisiensis Ordinis Prædicatorum in *Libello de Potestate Regia & Papali* cap. XIV. ubi ita scribit: [a] *Glossa ordinaria exponit, id est, deponentibus consensit. Non enim legitur quod Zacharias Regem Francorum deposuerit, sed legitur in Chronicis, quod Childericus regnabat in Francia totus deses & remissus. Pipinus vero gubernabat Principatum Franciæ, & Maiordomus dicebatur. Miserunt ergo Barones ad Zachariam Papam, ut decerneret de dubio eorum, quis scilicet deberet Rex esse, aut ille qui otio deditus solo nomine regnabat, an ille qui omne pondus Regni substituebat? Quibus cum respondisset Papa, quod ille qui Regni gubernacula utilius regeret, Franci mox incluso Rege Childerico Pipinum Regem sibi constituerunt.* Adoptavit post Joannem Parisiensem exeunte eodem sæculo XIV auctor *Somnii Viridarii*, quod apud Goldastum extat, dum capite LXXVI. in hunc modum scribit: [b] *Deposuit, id est, deponere volentibus consuluit. Pipinus enim misit ad Papam non sicut ad temporalis Regni Dominum, sed sicut ad virum Sapientem, ad habentem consilium, quod ratione status Pontificis videbatur authenticum.*

XCI. Favet huic interpretationi ipsa Egi-

nhar-

a JOANN. PARIS. ex edition. RICHER. pag. 85.

b GOLDAST. Tom. I. pag. 83.

nhardii narratio, qui ad annum DCCXLIX in Annalibus Laureshamensibus ita scribit: [a] *Burchardus Wirtziburgensis Episcopus & Folradus Presbyter Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de caussa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt: per quos prædictus Pontifex mandat, melius esse illum Regem vocari, apud quem summa potestatis consisteret, dataque auctoritate sua jussit Pipinum Regem constitui.* Quibuscum plane consentiunt cum Annales Fuldenses a Frehero, tum Bertiniani a Muratorio editi, tum Historia Pontificum Romanorum ab Amalrico Augerio Augustiniano scripta sæculo XIV. [b]

Cum in his, tum in aliis Annalibus verbo *jussionis*, *mandati*, *auctoritatis Apostolicæ*, & similibus, ipsum Romani Pontificis responsum & adsensum satis obvio & naturali significatu designari, prudenter inficiabitur nemo, qui adnexam Romano Pontificatui dignitatem & existimationem paullo adtentius consideraverit.

Denique illud non immerito notat Launoius, præter Gregorium VII nullum ex antiquis inveniri, qui solutos fidelitatis sacramento a Zacharia Gallos tradat.

XCII. Quæ deinde argumentatur Gregorius a di-

a DUCHESN. Tom. II. pag. 214.

b AUGERIUS ex edit. ECCARDI Tomo II. pag. 1698.

a dignitate & potestate Exorcistæ, Sacerdotis, & Episcopi super Reges & Principes sæculares: mera illa sunt sophysmata, quibus capi non possunt, nisi homines imperiti, & Dialecticæ artis omnino rudes. Quis enim nesciat, fallaciter argumentari eum, qui res diversi generis inter se comparans, ex eo quod una in suo genere aliis excellat, colligit debere ipsam in omnibus excellere? Recte omnino Joannes Parisiensis in Libello superius memorato *De Auctoritate Regia & Papali*, cap. XVI. " *Quod decimo nono dicitur, qui potest maius, potest minus; cum ergo Papa possit in spiritualibus, poterit & in temporalibus: illud est verum in maiori, & minori subordinatis per se, ut si Episcopus potest ordinare Sacerdotem, ergo & Diaconum. Non autem tenet in iis quæ sunt diversi ordinis vel generis: ut si pater meus potest generare hominem, ergo & canem: vel si Sacerdos possit aliquem absolvere a peccato, quod possit eum absolvere a debito pecuniæ.*

XCIII. Ad extremum oleum & operam perdit Gregorius, imo Wiclefi erroribus præludit quodammodo, dum Pontifices sic præfert Regibus, ut quia ex Regibus paucissimi salvantur, ex Pontificibus vero multi in Divorum numerum sunt relati; confici inde putet Gregorius, sibi potius Pontifici, quam Henrico Regi obediendum. Quæ non aliò tendere videntur, quam ut legitimum imperium

a PARIS. pag. 110.

rium totamque civilem poteſtatem non humanis conſtitutionibus & juribus, ſed regentium moribus æſtimare ac metiri debeamus. Hoc autem quid aliud ſonat, quam quod poſtmodum in Wiclefo & Huſſo damnavit Conſtantienſis Synodus? Nempe Wiclefi Articulum xv. *Nullus eſt Dominus Civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Et Huſſi Articulum xii. *Nemo gerit vicem Chriſti vel Petri, niſi ſequatur eum moribus.*

§. XCIII. Maximam certe injuriam & contumeliam Gregorius irrogat Regiæ dignitati, dum quæ Deo auctore gloriatur, cauſam ipſam æternæ damnationis adfirmat: & quam pro communi Reipublicæ bono inſtitutam a Deo teſtati fuerant antiquiores Pontifices, eam nunc Regibus pernicioſam & funeſtam ponit. Nam ſi abuſum hic tantum intelligit Gregorius, nemo ſtatim non videt, Pontificibus quoque ad æternam perditionem imputandum fore abuſum ipſum ſuæ poteſtatis. Quare dum Regiam dignitatem ſic deprimit & odioſam reddit Gregorius, ut dicere non vereatur, *Regum pauciſſimos ſalvari*: & dum Pontificiam dignitatem ſic extollit & in cœlum fert, ut a tempore B. Petri *centum fere* Romanos Pontifices Sanctorum albo adſcriptos glorietur: non minus ab Anteceſſorum modeſtia, quam a rei veritate abludit Gregorius. Nempe optimis Imperatoribus ſive Regibus tantum adnumerat Conſtantinum, Theodoſium, Honorium, Carolum

lum Magnum, & Ludovicum Pium. At tacet interim ex veteri Testamento Davidem, & Josaphatum, & Asam, & Ezechiam, & Josiam: tacet ex Romanis Imperatoribus utrumque Valentinianum, & Martianum, & Pogonatum: tacet ex Imperatoribus Germanis Ottones tres & Henricum II: tacet ex Regibus Angliæ Osuvaldum, Erfurdum, Eadmundum, Edilbertum, Ælredum, & duos Eduardos: tacet ex Regibus Galliæ Guntramnum & Robertum: ex Regibus Daniæ Canutum, Sueciæ Ericum, Hungariæ Stephanum, Poloniæ Casimirum, Hispaniæ Wambam & Alphonsum Castum: quorum omnium insignes virtutes, præclaraque in Ecclesiam merita antiquæ Historiæ produnt. Quibus si quamplurimos alios adjunxerimus, qui post Gregorii tempora floruerunt; ut Sanctum Ladislaum Hungariæ, Sanctum Leopoldum Austriæ, Sanctum Ludovicum Galliæ, Sanctum Ferdinandum Castellæ, Alphonsum I Lusitaniæ, Amadeum VI Sabaudiæ, totque alios piissimos ac religiosissimos Principes: profecto vanum & temerarium mox apparebit, quod scribit Gregorius, salvari paucissimos Regum, & qui ex illis Deo miserante ad salutem veniunt, non æque ut multos pauperum *in Sancta Ecclesia glorificari.*

XCIV. Neque minus vanum ac temerarium habendum est, quod ipse subnectit paullo inferius: *in Apostolica Sede rite ordinatos meritis B. Petri Apostoli meliores effici.* Et rursus: *Expe-*

perientia edoctum se scire, Papam quemlibet esse Sanctum. Quæ ante Gregorium VII nemo dixerit: falsum autem utrumque liquido demonstrat probrosa vita quinquaginta fere Romanorum Pontificum sæculo x sibi invicem succedentium, quos *Apostaticos* potius quam *Apostolicos* dicendos adfirmare non dubitat Genebrardus in sua Chronologia, & quidem Baronio suffragante: ut nihil necesset sit commemorare Bonifacium VIII, Joannem XXIII, Paulum II, Alexandrum VI, & Julium II. Sed operæ pretium erit Genebrardo Gallo addere Romanum Platinam in vita Stephani VI, Sergii III, Benedicti IV, Joannis XII, & Silvestri II.

XCV. Mortuo Gregorio VII succedit Victor III Cassinensis Monachus: quo brevi e vivis sublato Romanus Pontifex eligitur Urbanus II, & post hunc Paschalis II. Uterque Gregorium æmulatus Henricum novis diris devovent: Urbanus in Concilio Claramontensi anno MXCV. Paschalis in Romana Synodo anno MCII. Uterque ab Henrico, sicut Agnetem matrem Gregorius, ita filios duos Conradum & Henricum alienat, Mathilde Comitissa suppetias ferente. Hoc enim solum post tot calamitates restabat, ut in Imperatoris armis invicti perniciem ipse ejus sanguis conjuraret; & remotis tot imperii æmulis, ipsi filii parentis fortunam limis oculis intuerentur.

XCVI. Primus a patre rebellavit Conradus filius natu maximus, quem annis fere novem per

quasdam Italiæ partes & nomen & dignitatem Regis obtinuisse, & filiam Rogerii Siciliæ Ducis uxorem duxisse dum memorat Annalista Saxo; [a] satis plane nos edocet, rebellionis instigatores & fautores extitisse Mathildem Comitissam, & Rogerium Siciliæ Regulum, Roberti Guiscardi Nortmannorum Ducis fratrem. Quod nobis confirmat Chronicon Augustense a Frehero editum, ubi ad annum MXCIII hæc legimus: [b] *Ex odiis & invidia conflata usque adeo convaluit discordia, ut quidam perversæ seditionis auctores* CUM MEDIOLANENSIBUS *filium Imperatoris Conradum regnare, & in patrem malo instinctu suggesserint.* Porro Mediolanensibus imperitabat Mathildis, de qua ad annum MXCI ita scripserat supra laudatus Annalista Saxo: [c] *Mathildis de Longobardia Henrico Imperatori rebellat.* Et Auctor vitæ Henrici IV: [d] *Filius Imperatoris quem in Italia relictum a patre, & quam ob causam relictum diximus,* A MATHILDE PERSUASUS *(quem enim astutia fœminea non subvertat aut decipiat?) junctus inimicis patris, coronam sibi imposuit, regnum invasit, profanavit jus, & ordinem confudit, impugnavit naturam, quærebat patris sanguinem; quia non nisi sanguine patris regnare potuisset.*

Nol-

a Annal. Saxo ECCARDI pag. 585.

b Chron. August. FREHERI pag. 355.

c Annal. Saxo pag. 573.

d Vita Henrici IV ex edit. REINECCII pag. 18.

XCVII. Nollem hic vera esse, quæ Dodechinus in Continuatione Mariani Scoti & Albertus Stadensis in Chronico ferunt, de secunda Henrici uxore Adeheide ab eo non solum thoro ejecta, sed etiam amicis atque ipsi Conrado filio ad stuprum & prostibulum oblata: ad quod facinus cum cohorruisset filius, statim defectionem a patre esse molitum, & illo deserto diadema sibi quæsisse. Sed propudiosiora fortasse, quam quæ de Principe maiestatis suæ studiosissimo & servantissimo credi oporteat, temporibus illis in vulgus sparserit rumor. Illud certe æquitatis leges postulant; ut sicut Bennoni Cardinali non credimus Gregorium fuisse nicromanticum, homicidam, & simoniacum: ita iis quæ de Henrico prodit sive Bruno Saxo, sive Bertholdus Constantiensis, sive quivis alius inimicorum, non omni ex parte fidem habeamus.

XCVIII. E vivis excessit Conradus anno MC Paschale Secundo jam tum Pontificatum obtinente post obitum Urbani II. Eodemque anno fato concessit Guibertus Antipapa. Tribus igitur sublatis, a quibus solis turbari posse publica tranquillitas videbatur: cum deinceps pacatiora tempora sperare deberet Henricus, ecce tibi anno MCIV ab illius fide & obedientia deficit junior quoque filius patri cognominis, & postea in imperio successor; qui a Pontificis amicis, Theobaldo Marchione, Berengario Comite, & Gebhardo Constantiensi Episcopo Apostolicæ Sedis

Le-

Legato persuasus, posse se aliquando regno excidere, si patri excommunicationis vinculis adstricto adhaesisset; sub religionis obtentu contra naturae jus in patrem insurgit, illum armis & bello persequitur, obsidet, capit, & tandem regno cedere compellit. *Sub specie causae Dei suam causam egisse* merito de illo scribit antiquus auctor.

XCIX. Extat & apud Udalricum [a] & apud Albericum [b] bene longa epistula Henrici Patris ad Ludovicum Gallorum Regem, in qua ille omnia quae tum a Romanis tum a filio Henrico passus fuerat, tam lugubri & adfectibus plena oratione prosequitur; ut legi illa non possit, quin moveat ad misericordiam & lacrimas. Qui utroque illo caruerit scriptore, quaerat apud Baronium, & ad annum MCVI inveniat. Postquam autem invenerit & legerit, rogabo, an aliquem de Catholicis Regibus esse putet, qui si paria a Romana Curia pati coactus esset, non pari iracundia in ipsam Curiam inveheretur? Excepto enim, quod Gregorio legitimo Pontifici Guibertum Antipapam subrogari fecit Henricus; nihil ille sane vel in Gregorium, vel in Successores Gregorii commisit, quod hodie non committeret quilibet Catholicus Princeps in eadem fortuna constitutus. Quis enim vel modestissimus & religiosissimus Princeps non iniquissimo animo ferret, quis non armis & bel-

[a] UDALR. ECCARDI Tom. I. pag. 222.

[b] ALBERICUS LEIBNITII pag. 200.

bello ulcisceretur, imperio vel regno a maioribus accepto religionis prætextu se privari? Subditos à sacramento fidelitatis absolvi? Vicinos & longe positos Principes ad sibi bellum inferendum sollicitari? Conjugem, filios, fratres, Regni Primores adversus se concitari? Conviciis, contumeliis, aculeatis scriptis se peti? antiquissimos Regni mores corruptelæ nomine notari & aboleri?

C. Video sane præter schismatis labem illud quoque Henrico vitio datum, quod investituras Episcopatuum per annulum & baculum exercere non destiterit, contra Gregorii & Successorum Decreta? Sed primum non usque adeo desipiebat Henricus, ut crederet ipse, vel ab aliquo credi vellet, traditione annuli & baculi spiritualem jurisdictionem aliquam a se conferri in novos Episcopos. Ritu quippe illo nihil aliud per ea tempora significare intendebant Principes laici, quam aptos & habiles sibi videri electos cum ad populos in sua fide & obedientia continendos, tum ad Ecclesiastica bona, quorum maximam partem ab ipsorum Principum munificentia & pietate habebant Ecclesiæ, gnaviter & sancte administranda. Quod utrumque a futuris Episcopis exigere potuisse sæculares Principes dubitabit nemo, qui Principes ipsos & Christianæ Reipublicæ Patres, & bonorum Ecclesiasticorum Protectores esse noverit. Atque ea bona Ecclesiis donata a Christianis Imperatoribus & Regibus, sive ipsorum permis-

missu a privatis hominibus donata, ea bona erant, quæ *Regalia* secutis temporibus dici cœpere, ut apud Bernardum in epistula CLXIV. *Festinavit ad Regem, Regalium investituram accepit.* Et rursus in Sermone ad Pastores: *Duplex est dominium Prælatorum. Habent enim claves Ecclesiæ, quibus claudunt, & nemo aperit. Habent & Regalia, quia domini sunt urbium, oppidorum.*

CI. Deinde hanc sive prærogativam sive consuetudinem sæcularibus Principibus confirmarant tacito consensu suo Romani Pontifices plurimi ante Gregorium: qui & illud olim in more habebant, ut quemadmodum Episcopi Germanis Imperatoribus, ita illi Gothis primum in Italia Regibus, deinde Constantinopolitanis Cæsaribus certam auri summam pro confirmatione sua persolverent. Cujus quidem moris illustre argumentum est divalis jussio Constantini Pogonati ad Romanam Ecclesiam data, cujus meminit Anastasius Bibliothecarius in vita Agathonis Papæ, & Gratianus in Decreto parte I. distinct. LXIII. cap. *Agatho.*

CII. Denique siquid in Gregorium peccavit Henricus retentione investiturarum, non solus utique per ea tempora ille peccavit: peccarunt quoque Reges Gallorum & Anglorum, qui spreta Gregorii prohibitione, usum illud concedendarum investiturarum constanter retinuerunt, ut Illustrissimus Petrus de Marca recte observat libro

bro VIII. immortalis Operis de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 19. *Jussa illa* (inquit) *Gregorii efficere non potuerunt, ut Reges antiquæ maiestatis privilegia aboleri sinerent* : ET EPISCOPIS RECTI AMANTIBUS PERSUADERI NON POTERAT, *ut novitates illas prorsus amplecterentur. Intelligebant enim, Gregorium* PRÆTEXTU CUJUSDAM SOLEMNITATIS ET ODIOSÆ EXPLICATIONIS, *Regibus adimere velle auctoritatem ipsis legitime quæsitam.* Laudat mox ex Ivonis Carnotensis epistula LX. præclara hæc verba: [a] *Cùm hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo Episcopo, omissum vel admissum quid fidei, quid sacræ religioni officiat ignoramus.* Et rursus ibidem: *Quæ concessio sive fiat manu, sive lingua, sive virga, quid refert?* CUM REGES NIHIL SPIRITUALE SE DARE INTENDANT, *sed tantum aut votis petentium adnuere, aut villas Ecclesiasticas, & alia dona exteriora,* QUÆ DE MUNIFICENTIA REGUM OBTINENT ECCLESIÆ, *ipsis electis concedere.* Laudare autem etiam poterat, nec tamen laudavit Illustrissimus Marca ex eodem Ivone id, quod in eadem ejus epistula legimus multo adhuc præclarius : *Nec ista dico, tamquam velim adversus Sedem Apostolicam caput erigere.... Sed hoc vellem cum multis mecum pie sentientibus, ut Romanæ Ecclesiæ Ministri tamquam probati medici maioribus morbis intenderent, & non ab irrisoribus suis audi-*

P

[a] Ivo Part. II. pag. 27. & seq. ex edit. JURETI, Paris. 1647.

dirent: CULICEM EXCOLANTES, ET CAMELUM GLUTIENTES, &c.

CIII. Hæc in Gallia ſcribebat ſanctiſſimus ævo illo & laudatiſſimus Epiſcopus Ivo: qui & in epiſtula VIII. ad Richerium Senonenſem diſerti fatetur, ſe a Gallorum Rege etiam poſt Gregorii & Urbani Decreta per virgam & annulum factum eſſe Epiſcopum Carnotenſem. [a] *Regi præſentatus, & inde virga paſtorali a Rege mihi intruſa ad Eccleſiam Carnotenſem adductus.* Cui ritui tempeſtate illa ſanctiſſimos alios & doctiſſimos Epiſcopos acquieviſſe, notius eſt, quàm ut probatione indigeat.

CIV. Anno MCVI Leodii ſeptimo idus Auguſti mortuus Henricus IV Eccleſiaſticæ ſepulturæ non ante mandatus eſt, quàm filius impetrata abſolutione poſt biennium avito eum monumento inferendum curavit apud Spiram. Sic non aliorum impetu protritus, ſed domeſtico filiorum odio imperio excluſus, miſerabilem vitæ terminum habuit Imperator potentiſſimus ac ſtrenuiſſimus, qui bis & ſexagies cum hoſtibus manum conſeruiſſet, & ingentes victorias reportaſſet: celebratiſſimus utique & felicis memoriæ apud Romanos Princeps futurus, ſi Provinciam aliquam aut inſignem urbem donaſſet Romanæ Eccleſiæ. De eo ita ſcribit apud Albericum Otto Epiſcopus Friſingenſis: [b] *Sunt qui credant ei ad probationem, non ad damnationem hanc tentationem*

a Ibid. pag. 4.

b ALBER. pag. 199.

nem circa finem suum contigisse, affirmantque, cum eleemosynis ac multis misericordiæ operibus a Deo meruisse, ut excessus ejus lascivaque conversatio hoc modo in præsenti puniretur.

CV. Claudo Dissertationem hanc brevissima narratione eorum, quæ in Gallia & alibi nostris temporibus contigerunt occasione novi Officii pro Festo S. Gregorii Papæ VII, quod Romano Breviario adjungi imperavit Summus Pontifex Benedictus XIII. Ac Gregorium quidem VII Sanctorum Fastis in Martyrologio Romano primus adscripsit Gregorius XIII anno MDLXXXIV, cum jam de excludendo e Gallici Regni successione Henrico Borbonio ageretur. Deinde Paulus V famoso cum Venetis dissidio notissimus Pontifex, anno MDCIX. Salernitano Clero concessit proprio Officio S. Gregorii memoriam celebrare. Centum ferè post annis, hoc est, anno MDCCV Monachis Cisterciensibus; anno verò MDCCX Benedictinis idem indulsit Clemens XI rogatu Cardinalis Gabriellii, qui antea *Regaliæ* jura acerrime impugnarat. Denique anno MDCCXXVIII, cum S. Gregorium Papam VII pro tota Ecclesia colendum decrevisset Benedictus XIII, ejus jussu Officium quale nunc recitamus, composuit Pater Tedeschius Benedictinus, Sacræ Congregationis Rituum a Secretis, is qui ortâ discordiâ inter Papam & Imperatorem de Siciliæ Monarchia, ut Papæ causam securius propugnaret, Romam se ex patria sua Sicilia proripuerat.

CVI. Ubi primum vero ad Galliam accessit hujusmodi Officium, incredibile dictu est, quantas ibi turbas dederit: quiritantibus Gallis, Sanctorum etiam Canonizatione abuti Romanos ad novas & immodicas prætensiones suas confirmandas, ac religionis obtentu jura regia oppugnari. Primum stomachum movebat acutis hominibus ipsa oratio, ubi præ ceteris virtutibus commendatur Gregorii constantia *pro tuenda Ecclesiæ libertate*: nec æquo animo ferre poterant constantiæ nomine laudari, quod Gregorius a designatione Episcoporum qua per annos trecentos cum bona tot aliorum Pontificum venia gavisi fuerant, sæculares Principes arcuisset; in eoque libertatem Ecclesiæ collocari; ut vellent nollent Imperatores & Reges, non alii Christianis populis præficerentur Antistites ac Rectores, quàm quos præfici Romanis Pontificibus collibuisset; sive illi indigenæ essent, sive extranei; sive Imperatoribus & Regibus fidi, sive infidi.

CVII. Deinde ubi ad Lectiones secundi Nocturni animum advertebant, concoquere non poterant Galli, statim in exordio prioris sequentem narrationem inveniri: *Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes litterarum inscius luderet, ex rejectis fragmentis illa Davidici elementa oraculi, DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE casu formasse narratur: MANUM PUERI DUCTANTE NUMINE, quo significaretur, ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem.*

Quam

Quam narrationem e Baronio ad annum MLXXIII totidem fere verbis desumptam, nulloque citato auctore a Baronio adoptatam *inconcinnas fabellas* antea dixerat summus Criticus Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. Nec *inconcinnas fabellas* esse dubitabit, quisquis animadvertat, tam admirandi & memorabilis facti ne vestigium quidem reperiri apud Scriptores ejus œvi, qui Gregorii res gestas & laudes adcuratissime & studiosissime sunt prosecuti: ut fecerunt Bertholdus Constantiensis, Lambertus Schafnaburgensis, Paulus Bernriedensis, Arnulphus Mediolanensis, Anselmus Lucensis, Leo Ostiensis, Pandulphus Pisanus, aliique. Primus quod sciam, commentum hoc evulgavit Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum sæculo XIII, illudque Martino Polono citato commemoravit postea Martinus Fuldensis in Chronico ab Eccardo publici juris facto. [a] Quod tamen vel ut sibi ignotum, vel ut fide indignum reticuit eodem sæculo XIII Albericus Trium Fontium: sæculo verò XV Nicolaus Cardinalis de Aragonia dictus, a quo habemus Acta Gregorii VII exquisitissime collecta, & a Muratorio nostris temporibus edita inter Scriptores Rerum Italicarum. Sed factum per se ipsum incredibile, & nullius synchroni Scriptoris testimonio fultum, Sanctorum fastis inseri & quodammodo consecrari oportebat, ut non humano instinctu, sed divina inspiratione motus crederetur Gregorius uni-

[a] MART. FULD. ECCARDI pag. 1684.

universalem totius Orbis Monarchiam ambiisse. Id enim præ se ferunt verba illa: *manum pueri ductante numine, quo significaretur, ejus amplissimam fore in mundo auctoritatem.*

CVIII. Neque minus displicebat, quod paullo post sequitur in eadem priori Lectione: *Juvenis Ecclesiasticam libertatem a laicis oppressam dolens.* Quæ oppressio in eo sita erat, quod neminem se inconsultis & invitis Episcopum fieri in terris suæ ditionis patiebantur Principes sæculares.

CIX. Illud denique prorsus intolerandum videbatur Gallis, quod in fine secundæ Lectionis habebatur: *Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum fidelium communione Regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.* Et certe quis hodiernorum Principum non ægre ferret, *impios* dici Prædecessorum suorum Regum *conatus*, quos sibi constaret non aliò tendisse, quàm ut prærogativæ & jura a majoribus accepta, & multorum sæculorum usu ac consuetudine firmata, sibi a Romano Pontifice non eriperentur? Quis non admodum irasceretur, *murum domus Israel*, hoc est, Ecclesiæ murum vocari Gregorium VII eo nomine, quod Principes spoliare ausus fuerit illis prærogativis & juribus, quibus salva Ecclesiæ dignitate & aucto-

ctoritate gaudere sæculares Principes potuisse judicarant sanctissimi & laudatissimi Pontifices Gregorius I, Benedictus II, uterque Hadrianus, Leo IV, Leo IX, Victor II, Nicolaus II, Alexander II. Qui omnes cùm se Imperatoribus & Regibus pro libertate Episcopalium Electionum non opposuerint, non muri domûs Israel, sed Ecclesiæ proditores censendi erunt.

CX. Quis denique non obstupesceret, videns Christi Sacerdotibus dari in ipso Sanctuario recitandas & celebrandas, inauditas molitiones Pontificis in Regiam Potestatem a Deo institutam pio quidem zelo, sed non secundum scientiam inflammati, & veluti extra se rapti? Videns laudandæ & imitandæ constantiæ adscribi, paterno Regno subditorumque obedientiâ privasse eum, quem a Deo coronatum & solo Deo minorem tota prædicarat antiquitas? Videns in partem religiosi cultûs vocari rebelliones & seditiones populorum? Videns schismati & perjurio imputari fidem & obedientiam ei præstitam, quem honore adficiendum ab omnibus declarat Apostolorum Princeps? Videns ab Spiritûs Sancti adflatu profectum dici, quod in legitimum Principem subditos armarit Romanus Antistes; quasi bellorum & seditionum impulsor esse potuerit Spiritus pacis, & mansuetudinis?

CXI. Nam initium tertiæ Lectionis tale est: *Dum Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e Cœlo delapsa, humero ejus in-*

insidens alis expansis caput ejus velare : QUO SIGNIFICATUM EST, SPIRITUS SANCTI ADFLATU, non humanæ prudentiæ rationibus IPSUM DUCI IN ECCLESIÆ REGIMINE.

CXII. Sumpta hæc quoque fuerunt ex Baronio ad annum MLXXXIV, qui ejus rei tamen unum testem producit Leonem Ostiensem. *Quid* (inquit Baronius) *columbæ visio in Pontifice, nisi Spiritûs Sancti eum instinctu regi & gubernari?*

CXIII. At quis ferat Theologiam ejus Cardinalis, qui ad annum MLIII, cùm Petri Damiani epistulam descripsisset, ubi ille diserte negat competere Romano Pontifici materialem gladium, hanc notam ei statim inurit : *Hucusque de his Petrus Damiani, cui Catholica dogmata penitus adversantur, QUIBUS HÆRESIS ERRORE NOTANTUR OMNES, qui ab Ecclesiæ Romanæ, Cathedræ Petri, E DUOBUS ALTERUM GLADIUM AUFERUNT, nec nisi spiritualem concedunt.* Et mox adlata Extravagante *Unam Sanctam* Bonifacii VIII rem ita concludit. *Hæc Bonifacius, CUI ASSENTIUNTUR OMNES, ut nullus discrepet, NISI QUI DISSIDIO AB ECCLESIA EXCIDIT.* En Baronio judice hæretici sunt, & ab Ecclesia præcisi, quotquot Romanis Pontificibus materialem gladium denegant.

CXIV. Quis, iterum dico, Theologiam ferat ejus Cardinalis, qui ad annum MCVI, cùm retulisset, a filio Henrico Henricum Quartum

Im-

Imperatorem fuiſſe armis impetitum, cuſtodiæ mancipatum, & tandem imperio ſe abdicare coactum: adfirmare pergit, nihil magis peccaſſe in his omnibus flagitiis Henricum Juniorem, *quam ſi vehementi febre phrænetico, deliranti, inſanienti, furentique, pius filius injiceret vincula patri, ſi vere intuitu pietatis, ut facere præ ſe tulit, ea omnia præſtitit.*

Hæc Baronii loca duo flammis utique multo digniora, quàm quæ ille ſcripſit in Monarchiam Siciliæ; planiſſime omnibus oſtendunt, quam parum fidendum ſit Bullis illis Pontificiis, quæ talium Conſultorum judiciis & ſuffragiis innitantur.

CXV. His ceu ſtimulis exagitati, anno MDCCXXIX & ſequenti, ſeveriſſimis Senatusconſultis in Officium illud S. Gregorii Papæ VII, veluti in clandeſtinam & ſeditioſam Schedulam animadverterunt Regii in Gallia Magiſtratus Pariſiis, Metis, Redonibus, & Burdigalæ. Nec minus ſtrenue eandem illam Schedulam repulere Archiepiſcopus Trajectenſis in Belgio cum ſex aliis Epiſcopis Galliæ, Antiſſiodorenſi, Monſpellienſi, Metenſi, Nemauſenſi, & Trecenſi. Quorum omnium Acta & Scripta anno MDCCXLIII impreſſa habemus, tribus voluminibus minutioris formæ.

CXVI. Pari indignatione & ſtomacho idem Officium exceptum eſt in Neapolitano Regno: utpote quod anno MDCCXXIX Caroli Sexti Im-

peratoris juſſu, anno vero MDCCLXI Catholici Regis Decreto confixum & ſuppreſſum fuit: id quod nos docent Acta hujus Controverſiæ, a Joſepho de Seabra Silvio Fideliſſimi Regis Noſtri Procuratore ſapientiſſimo & vigilantiſſimo nuper evulgata, in ſecunda Parte admirandi & immortalis Operis, cujus titulus eſt, *Deductio Chronologica & Analytica*, Demonſtratione V. & in ejus Probationibus, numero IV.

FINIS.



ERRATA				CORRIGE
Pag. 34.	reg. 14.	quadiennio	- - -	quadriennio
Pag. 54.	reg. 2.	commitatus	- - -	comitatus
Pag. 58.	reg. 15.	dedetissimos	- -	deditissimos
Pag. 61.	reg. 25.	*Santi*	- - - -	*Sancti*
Pag. 73.	reg. 10.	*statua*	- - - - -	*statuta*
Pag. 90.	reg. 3.	undem	- - - - -	eundem
Pag. 94.	reg. 3.	*habeat*	- - - -	*habeant*
Pag. 100.	reg. 9.	ab	- - - - - -	ob
Pag. 106.	reg. 10.	Robertum	- - -	Dagobertum
Pag. 114.	reg. 6.	diserti	- - - - -	diserte
Pag. 121.	reg. 22.	sex	- - - - - -	quinque





